


EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI;  
LIB. BAR. de DANCKELMANN;  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gs. 3.





3  
*Historica descriptio*

RERVM, CIRCA

BVDAM, METROPO-  
LIN REGNI VNGARIÆ,

Mense Octobri,

ANNO M. D. XCVIII.

GESTARVM.

Excepta

à

THOBIA COBERO,

*Medic. D. Phys. Castrensi.*



L I P S I Æ.

Ex Typographéo Abrahami Lambergi.

M. D. XCIX.





REVERENDISS.

MAGNIFICIS NOBILISS.

ET SPECTATISSIMIS VIRIS, DOMI-  
NO DECANO, SENIORI, & re-  
liquis CANONICIS,

Ecclesiae Cathedralis,  
celeberrimi Primatus Ger-  
maniae Episcopatus

MAGDEBURGENSIS,

*Dominis & Fautoribus suis cle-  
mentiss. & honorandissimis*

Omnibus ac singulis

S. P. D.



Memorabilem, totoq;  
terrarum Orbe diuul-  
gandum, rumorem,

)( 2 de

PRAEFATIO.

de obsidione Budæ Metropo-  
leos Hungariæ, breuiore ora-  
tione complexurus, Reue-  
rendiss. Magnifici, Nobiliss-  
simi, & Spectatissimi Viri,  
Domini Honorandissimi, ieu-  
dulò circumspexit vndenam  
labori non minus tædiofo  
mihi, quam forsan inuidià la-  
boraturo, patrocinium mu-  
tuarer. Occurrit mihi Magde-  
burgum, vrbs in vmbilico  
ferè nō modò Germaniæ, sed  
totius Europæ, constituta †  
quæ amplissimum, veneran-  
doq; aspectu dignissimum,  
Reuerēdiss. V. Magn. confes-  
sum, tam autoritate, quàm  
iudicio



PRAEFATIO.

iudicio præstantissimū, ob-  
 trusum hunc, etsi vix embry-  
 onatum fætum, cliētela mu-  
 nifica non dedignaturum,  
 me in certissimam spem eri-  
 gebat. Etsi enim tam strigo-  
 sus incomptusq; Reueren-  
 dis. V. Magn. obtutu indi-  
 gnus videretur: cum tamen  
 sub ipsis Budæ propugnacu-  
 lis nescio quo, pluuioso certè  
 & nimium hyberno, sidere sit  
 prognatus † sic vt colore fo-  
 mentisq; plurimum indige-  
 at † à desideratissimis. Reue-  
 rendis. V. Magn. penetrali-  
 bus se non repulsumiri spe-  
 rat. Et vix non suo iure spe-

) ( 3 rat:

PRAEFATIO.

rat? cum obsidionem præfe-  
 ferre, & ob oculos ponere  
 conetur istius loci: ad quem  
 vix non ex toto orbe gentes,  
 de throno sceptroque Regio  
 concertaturæ, confluxerant.  
 Quod enim Europæi inde ab  
 vltima Thule ad Danaim,  
 Europæ terminum vsque v-  
 nis in castris sint conspecti,  
 Asiæ autem Africæque man-  
 cipia inter Turcos fuerint;  
 abest vt negem: cum vel ad-  
 huc aures dissono idioma-  
 tum concentu mihi caleant.  
 Quo minus mirum: si vel  
 ab extremis vsque Or-  
 cadi

P R A E F A T I O .

cadibus Illustrissimus Prin-  
ceps Vdalricus, Serenissimi  
Daniae Regis Frater Germa-  
nus, nec non Reuerendiss.  
& Illustriss. Reuerendiss. V.  
Magn. iam Electi Archiepi-  
scopi Frater, vt de Silesia &  
Lituaniae Principibus Illu-  
striss. nihil dicam, quantâ  
potuerint celeritate, postha-  
bitis tempestatum Autum-  
narium, sordium Castren-  
sium, periculorumque bel-  
licorum molestijs, ad ob-  
sidionem Budae festinarint:  
& vtriusque fortunae par-  
ticipes esse voluerint.

) ( †

Et si

P R A E F A T I O .

Et si autem paternâ I E H O V A E  
manu, qui sibi soli ad S S. sui  
nominis gloriam plenum vi-  
ctoriæ consummatæ munus  
reservavit ab ingressu Regiæ  
simus cohibiti ; tamen hanc  
rerum, circa eandem gestarū,  
enarrationem qualemcunq̄,  
oculatâ tamen fide, maxima  
ex parte conquistam, Reue-  
rendiss. V. Magn. non repu-  
diaturas, tantò magis spero :  
quo tranquilliora, Reuer. V.  
Magn. ad talia in placidissi-  
ma quiete euoluenda dijudi-  
candaq̄; halcyonia à D E O  
Opt. Max. sunt concessa. His  
enim, quod in pulvere Ca-  
strensi

PRAEFATIO

strensiam per triennium de-  
sudans, destitutus fuerim,  
vel horridum hoc, & castra  
olens, sermonis genus, quo  
temporis & occasionum es-  
thesijs minimè flantibus, uti  
sum coactus, tum demum  
loquetur: cum ad Observa-  
tiones meas Castrenses vnicè  
tanto sumptu, totq; periculis  
in Hūgaria comportatas, nec  
non ad Historiæ Trieteridis  
vnius elucubrationem, plus  
ocij temporisq; mihi munifi-  
cè fuerit concessum.

Ad hanc enim metam cū  
ardentibus votis anhelem,  
plus fortassis, auxiliāte Deo,

) ( 5      pubi

PRÆFATIO.

publicæ quam priuatæ (hanc enim alterâ non saluâ detestor) vtilitati consulturus, plurimum Reuerendiss. V. Magn. benigna, mihi verò desideratissima beneuolentia adiuuabor, si modò me illa non prorsus indignum Reuerendiss. V. Magn. iudicauerint.

Hoc autem ne fiat submissè rogans, me Reuerendiss. V. Magn. cliētelæ & patrociniò, simulq; impexum hunc factû, aut adoptandum, aut, si ita videbitur, penitus (vt pote in barbaria natum) exhærendum, ea, qua par, animi obser

PRAEFATIO.

obseruantia commendo. Data  
tæ Calendis Aprilis, Anno  
decimi sexti post Christum  
natum seculi penultimo.

*Reuerendiss. V. Magn. &  
Nobil.*

*Obseruandissimus,*

Thobias Coberus Med.  
D. Physicus Castrensis.



IN

In Historiam  
BVDÆ OBSESSÆ.

**S**ic, ô sic, tandē dextrè oppugnabimus hostē:  
Hactenus Vngarici quem tremuere Duces:  
Regia si Budæ capiemus mœnia: ne nos,  
Vt prius, imbellis Turcus ad ima premat:  
Nam licet Europam, cumq̃ Afris, Asidos oras  
Viderim, atrox Scythicis quas Geta calcat  
equis:

Nulla tamē visa est tã firma potētia, quæ non  
Confringenda, Deo non renuente, foret:  
Si modo ciuilis concordia tolleret ignis  
Exul vt impietas esset vbiq̃, faces:  
Tunc ô tūc armis domito quãta hoste trophæa,  
Quotq̃ locarentur, Diue Rudolphe, tibi?  
Huius enim diam Mauorte ac arte mereris  
Gratiam, Apollinei palma, Cobere, chori:  
Præsentis medicis dum curas artibus ægros:  
Historia absentes Mnemosinemq̃ iuuans,

Sub Buda amoris & cog. fidei  
causa faciebat

IACOBVS CONRADI PRÆ-  
torius Phil. & Med. D. Eq. S.  
Sepulchrj.



## Aliud.

**M**agnus Alexander toto clarissimus orbe  
Factis, Mæonio optavit sua carmine scri-  
Scilicet Æaciden, Troiæ fatum, atq; disertū (bi.  
Regem Sisyphiden, multas qui prouidus vrbes  
Et mores hominum inspexit, quis nouerit?

horum

Æterno si non celebratum carmine vatum  
Nomē. vixerūt multi ante Agamēnona fortes,  
Nocte sed ignoti longa vrgentur, quia sacro  
Vate carent. Sine vate perit sapientia Vlisſis,  
Et virtus. Adeò firmū, atq; perennius ære eſt.  
Carmen, Pyramidū monumentis altius, imber  
Quam quod edax, Aquiloq; potentior, aut fuga  
præceps,

Annorum vel diruat innumerabilis Ordo.

Qui vates celebris, qui clar' & arte Machaō,  
Quāta COBERE, tibi Laurinū præmia debet,  
Dum reuocas herbis, reddisq; ad prælia vires  
Militi, & in nocuam seruas cum ciuibus urbē.  
Maius adhuc sed condis op', quod fortiter vrbis  
Historiam memoras ereptæ è faucibus hosti,  
Atq; Ducis Schuuartzenburgi memorabile factū  
Contexis, dicent quod postera secla, sonabit

Et

*Et Saus, donec Iaurini mœnia lambe.  
Nunc etiã quæ gesta, Budam dum milite cingit  
Dux, promissis, serieq; ornatâ singula narras,  
Morborum Medicus, Medicus tũ tẽporis acti.*

Academiæ Lipsiensis H. Rector.

**Ioachimus Tanckius** Per  
lebergensis Philosoph. & Medici. D.  
Anatom. & Cheirurgiæ Pro-  
fessor Publ.


**A L I V D .**


**H**actenus obsessam magno conamine Budã  
Depinxit varijs lubrica fama notis.  
Palma, Cober, tua est: ex te res maxima nobis  
Paruam, sed veram suggerit historiam.  
Sic vincunt oculis commissa fidelibus aures:  
Gratior exoriens hinc trieteris erit.

Urbanus Hantschmannus D. & P. C.



Histo





I  
HISTORIA BVDÆ  
Mensæ Octobri An-  
no M. D. XCVIII.  
obsessæ.

**E**XPECTABAT ORBIS  
terrarum, & sollicitis suspensisq;  
animis præstolabatur: quæ tan-  
dem catastrophe, Anni huius  
1598. expeditionem contra Turcas esset  
subsecutura: cum auspiciator, magisq; deside-  
rata negotiorum eandem exordiri nequiuisset.  
IAVRINVM enim, Reip. Christianæ pro-  
pugnaculum, Turcis 29. Martij prudenter  
& fortiter ereptum, omnes mundi cardines,  
hos dolore, illos gaudio vtrosq; summo, sic af-  
fecerat: vt ad prorsus nouas belli gerendi ra-  
tiones, Oeconomiam bellicam vtrinq; commo-  
derandam nemo dubitaret: omnes præsagi-  
rent. Redactis enim in angustias nostris co-  
pijs, cum districtos acinaces intra nostros mu-  
ros coruscare, nostrisq; ceruicibus imminere,  
prius vidissent, postquam inexpectatæ salutis  
A spes

Spectam inopina affulsisset, non incongruè, re-  
 rum minimè præuisarum, metamorphosin  
 præforibus esse statuebant. Et sanè quam-  
 uis mihi trieteridis meæ castrensis periniqua  
 conditio receptui canere potuisset, & vix non  
 debuisset: malui tamen oculatus tantæ & tan-  
 toperè à me desideratæ mutationis testis futu-  
 rus, euidentissimis periculis, vel tertio, memet  
 obijcere, quàm fructu summæ, licet incertæ,  
 voluptatis, quæ ex hostili cruore promanat,  
 distius priuari. Quo quidem affectu cum  
 bonos omnes candidosq; contabescere arbitra-  
 rer, meis me cancellis eijciens, alacri motu  
 ad metam decurrere decreui in hoc stadio, in  
 quod me communis patriæ amor, & bonis gra-  
 tificandi desiderium iam diu detrusit. Ec-  
 quis enim Christianorum, stupescendæ huius  
 mutationis Historiam, diuinæ providentiæ  
 testem locupletissimam, quæ Nonagesimum  
 Octauum hunc Annum nobilitauit, si ad ea,  
 quæ in recentissima memoria & ante oculos  
 adhuc oberrant, respexerit, quamuis non om-  
 nibus numeris absolutam, incoatam tamen,  
 & vera sinceraq; enarratione consignatam,  
 vel

vel pertransennam, intueri nollet? Absit enim, ut accuratam rerum, hoc anno gestarum, descriptionem, aut commentaria, à me conquisita, gloriar: cum hæc totum hominem, otio literario abundantem, & nihil minus, quam oppressum, suffocatumq; puluere Castrèsi, suo iure, requirant: illa vero, maiestate præstantiq; materia, styli Castrensis rigorem dedignetur. Est enim hoc Octimestri spatio tantum negocij Martij prudenter, fortiter, feliciterq; confectum: quantum sperare pauci, expectare nulli, polliceri non nisi temerarij potuissent. Temeritati autem, utinam non in Deum contumeliosæ, proteruæ profectò, si uspiam locum esse putabimus, nã in rumoribus bellicis, censurâ plebeiiorum, & impudentiâ nugigerulorum, qui res & euentus bellicos impunè posteritati commendant, hæreditario quasi iure tyrannidem exercere, in dies experiemur. Ut enim sicco pede præteream ea, quæ de superiorum annorum expeditionibus sunt consarcinata: vel ad Iaurinensis Expugnationis enarrationes, quot non nugarum plaustra, (dum hic fascino canum

latratum compefcuit: ille in confpectu Baffe  
 tormenta difpofit: tertius ex fubterraneis  
 fpecubus, Dij, quantas gazas effodit) funt pro-  
 tradta. Et tamen mifera pofteritas quisqui-  
 lias, paleasq; hafce pro granis colligere cogetur:  
 nifi quis vel vi in arcam protradtus, lol-  
 liginem hanc à filigine feparauerit. Confcri-  
 pfi equidem Ephemerides vnius Trieteridis:  
 Sed cum oculari tantum, non auritæ fidei in-  
 nitar: & aduerfiffimæ Mufis occupationes,  
 fæpius mihi ftylum extorferint, fic, vt à deli-  
 catulis noftri æui cenforibus, pofc pulpita la-  
 titantibus, durum & caftrenfe fermonis ge-  
 nus, exhibilandum putem: tamdiu publica-  
 tionem illarum procrastinandam fum arbi-  
 tratus: donec memorabilis alicuius rei gæftæ  
 Historiola foràs protrufâ tanquam Apelles  
 pofc tabulam, hominum diuerfiffimorum iu-  
 dicia indagaffem. Quod magis memorabi-  
 li, vel digniore rerum, fortiter in Hungaria  
 gæftarum, compendio fieri non potuiffie mihi  
 perfuadeo: quàm Metropoleos regni Panno-  
 nici aufpicata obfidione: cum præfertim ru-  
 morum, cenfurarumq; popularium plebeij  
 ftrepitus



Strepitus aures mihi vellicarent. Nec enim  
 deerant: qui, res bellicas, ex suo tantum cere-  
 bro aestimantes, dicta & facta omnium, quot-  
 quot in excubijs pro Republ. Christiana fue-  
 rant, non secus, ac si pro tribunali rationes  
 reddere cogerentur, sic pensitarent: vt multi  
 non satis maturè tantam rem aggressam,  
 plures non satis instructis viribus, plurimi  
 perparùm hoc anno gestum post fornacem  
 declamitarent. Quorum tam inconditos  
 quam præmaturus rugitus, oculatæ Veritatis  
 testimonio, eò magis anteuertere, gestio: quò  
 maior illorum est impia sollicitudo: qui nisi  
 rectè ponderatis, prudenterq; dispositis consi-  
 lijs, euentus, quales sibi imaginantur, corre-  
 spondeant, innocentium Heroum actio-  
 nes vituperare non erubescunt. Eò etiam  
 confidentius hoc quicquid est laboris, subire  
 volui: quod certò mihi pollicear: non minus  
 rei maiestatem, parum elegantiter soq; sermo-  
 nis generi apud homines, in tenebris viuentes,  
 patrocinatorum, quàm historiae tantæ metro-  
 poleos obsessæ, qualem cunq; iucunditatem il-  
 lis, qui in luce viuunt, arrisuram. Cum

præsertim eodem temporis puncto, stupescen-  
 da rerum vicissitudine, hic Turci à Christia-  
 nis obsessi, illic nostratos acerrima obsidione  
 pressi tam Budenses, quam Varadinenses,  
 Præsidiarij, hi à Serdare Bassa, nostri à Se-  
 renissimis Archiducibus subsidiarias manus  
 expectârint. Nec enim immaturo, sed exa-  
 ctissima statera ponderato, consilio Serdar  
 Bassa, maioris Varadini portas (hisce Ter-  
 tius in Transyluaniam ingressus, qui per  
 fauces montium vitiferorum, Thermis<sup>q</sup> lau-  
 datorum, iuxta fluvium Keres, patet, obse-  
 ratur) arctissima obsidione cinxerat: quas  
 si perrupisset: næ eodem momento secretissi-  
 ma quorundam consilia, & ne quid durius di-  
 cam, molitiones fuissent interclusæ: ad plures  
 autem regiones, penitus à nobis auellendas,  
 aditus esset patefactus. Cum enim, quod  
 Varadini munitionibus ad ingressum, in Trã-  
 syluaniam claues verè custodirentur: tum  
 vel mille causæ erant: quæ Serdarem Bas-  
 sam, cum numerosissimo exercitu, ad huius  
 obsidionem inuitauerint: quibus & in his vel  
 vltimæ, si euentus, respondissent, dubio procul  
 rerum,

rerum, in Cisdanubiana Ungaria gestarum, splendor, summoperè fuisset obscuratus. Sed vicit, vicit diuina Clementia: Serenissimi Archiducis Maximiliani consilia, & Melchioris Roderi Baronis actiones, non minus in defensione Varadini, quam Sereniss. Archiducis Mathie, & Adolphi Schuartzenbergij, Baronis auspiciatissimè tentatas obsidiones, sic dirigendo: vt ad gloriam diuini nominis confectæ, suo iure, applausum omnium bonorum sint promeritæ. Cuius ego rei periculum facturum rectâ ad ea, quæ gesta sunt, recensenda accingar: vbi prius Budam ante oculos positam, ea, qua Anno 1598. 1. Octobris facie conspicienda fuit, spectandam exhibuerimus. Etsi enim potissima ædificiorum moles, & tractus vastissimus, suis tectis orbatus fuit: tamen paulò post, vt spero, cum lector æquus in campis vbi Buda fuit, expatiabitur, non minus iucunda recollectione rudera loci intuebitur: quam sollicita indagine studiosi vetustatis structuras antiquas eruere gestiunt. Quin & eò accuratioris delineationis labori indulgere volui,

A 4

quod

quod hac in vrbe, quicquid in hostico solo magnifici, lauti, tersiq; expectandum erit, angustire quasi theatro comprehensum oculis exhiberi viderem: & ab vnius Regiae Metropoleos venerando aspectu, sicut à procera arbore, ramos aestimarem.

BUDA IGITUR METROPOLIS regni Hungariae, toto terrarum orbe cognitissima, nomen ab Attilae parricida Fratris sortita, non incongruè *Ofen* à Germanis antiquis sicambriae oppidi incolis, duas ob causas appellata fuit: cum quod, instar furni, saluberrimae thermarum scaturigines, nunquam non fumum exhalarent: tum, quod ad aes, (cuius venae hic, si vspiam, ditissimae) excoquendum, fornaces passim sint extructae: triginta sex infra Viennam milliaribus Germanicis, ripis Danubij adiacens, eo in loco est extructa: in quem delicias orbis terrarum, natura contulisse videtur. Quocunq; enim oculos obuertes: naturae quasi abblandientis benignitatem sic obuiam habebis: vt non sine causa *Vernherus* in suo de stupescendis aquarum

rum

rum Pannonicarum, miraculis, tractatu  
 præconia Budæ, ultra totius Europæ laudes  
 extenderit. Quò minus mirum: si Turcæ  
 locum, tot à Natura beneficijs tanquam cor-  
 nu copie vix non obrutum, Christianis ere-  
 ptum, incolendum, exornandumq; more suo  
 putârint: eundemq; vel Christiani & Iudæi,  
 etiam sub exquisita Tyrannide, anhelantes,  
 non nisi inuiti deserere vnquam voluerint.  
 Quinimò, vt verum fatear, inuitissimus ab-  
 straher ab eodem, licet hostili, superis inui-  
 so, sordibusq; Turcicis deformato, loco: cum  
 hinc inde munificentis Naturæ riuulos pro-  
 manare viderem: & videndo obstupescerem.  
 Indignabar etiam: sentinam barbarissimo-  
 rum latronum illuc confluisse: quo Mathia,  
 & reliquis Pannoniarum Regibus, Christo  
 deditis, Musas se contulisse, & gratissimis  
 halcyonijs sustentatas fuisse, reminiscebar.  
 Quarum quidem rerum memoria toties pectus  
 noua ægritudine exulcerabat: quoties deua-  
 stata locorum cadauera, quibus omnis ager  
 horret, mihi circumspedanti, ante oculos ob-  
 uersabantur. *Ædes enim perpetuo quodam*  
*A s* *cohesu*

cohesu spatiosissimo tractu inhabitatas fuisse  
 manifestum est: quod quidem tum, cum An-  
 no 96. Mense Julio, ex opposito latere Pe-  
 sthensi, turmis aliquot obequitaremus, longè  
 angustiore locum nobis representabat: quàm  
 qui obsidione cingi, quod omnes pernecessari-  
 um deierabant, potuisset. Est tamen ad-  
 iacentibus, circumcirca ferè suburbijs satis,  
 & plus satis, augusta: nisi spurcities Turcica  
 locum, per se per amenum, vilioribus casis  
 siue havis de turpasset. Suburbium illud,  
 quod nobis, Viennâ aduentantibus, primò oc-  
 currit, prima statim fronte Regias illas &  
 magnificentissimas Thermas ostentat. Vo-  
 cantur hæ Regiæ, nomine plus, quam re:  
 quod in tanta rerum expetendarum copia,  
 tantam prodigæ naturæ gazam delituisse &  
 nihili pensam fuisse, Vernherus attestetur.  
 Ut ut sit, tamen hoc, ut arator de stiva locu-  
 tus, liberrimè assero: me, postquam exactiore  
 statera easdem examinaffem, seriò ingemu-  
 isse: nos in tanto thesauro, tot hominum my-  
 riadibus præsentissimo auxilio futuro, tanto  
 tempore percos Mahometicos volutari pas-

10

sos esse: ne scilicet hostibus deesset: quod ad  
 superstitiosas ablutiones, delicias, pro nullo  
 precio maximas, & vegetum corporis belui-  
 ni robur suffulciendum, summum momentum  
 haberet. Ad hos enim, & longè plures, fi-  
 nes respicientes, magnificè, sed more Tur-  
 cico, illas concameratis fornicibus, plumbo  
 incrustatis, pavimento marmoreo tessellato,  
 alveo deniq; numerosæ multitudini capaci v-  
 sibus quotidianis instruxerant: sic vt etiam  
 plures ex Bassis easdem aquas, ad suos quisq;  
 lares, per siphones & tumbos deriuari cura-  
 uerint. Quibus autem, & quam deploratis,  
 morbis succurrant, tunc deniq; enucleare ag-  
 grediemur: vbi Speculatiuæ Medicinæ Oce-  
 anus sobriè philosophantibus patefactus, Of-  
 ficina promptissima egentibus reclusa & Mu-  
 sæ quasi postliminio in sedes suas restituta fu-  
 erint. Quaspe ne superinos elabi patiantur  
 optantes, thermis exhibamus: quid in ijs, quæ  
 in proximo erant, locis esset, perlustraturi.  
 Duæ primò occurrebant turricula, Portam  
 Cancellatam, inter vnâ harum & præcipi-  
 tia montium, communientes. Ebulliunt  
 hinc

hinc inde scaturigines aquæ tanto impetu: vt pluribus hoc loci molendinis, ad varias, maximi tamen pulueris Pyrij, trituras extructis, circumrotatu inseruiant. Nihil hinc præter vnâ & alteram Begi nescio cuius domum, structuræ vel paulum visendæ: Moschea tamen, iuxta quam damnatarum reliquiarum vastam congeriem coaceruarant Turci, tumbas pinnis & tulipanthis (pro more) exornantes, in cliuo vicino conspicitur. Toto enim tractu isto montibus circumualata est **BUDA**: qui vitibus, magis nature vbertate, quam culturâ passim, & frugiferis arboribus, conuestiuntur. Attulisset hæc sagacium fructuum copia incontinentissimo nostro militi exitialem calamitatem: nisi Basse Budensis salutaris nobis industria, ingluuiei Castrensi occurrisset: fructibus horarijs ad rumorem, de aduentu nostro, tumultuario decerptu, ad com meatum, collectis & repositis. Quomodo enim bonis, hosti ereptis, miles noster vtatur: ille contestabitur: qui semiputrida, vermibusq; exesa cadauera, promiscuè in Thermis illis Regijs, toto obsidio-

nis



nis tempore, inter viuos circumnatitasse, non nisi nauseâ recordabitur. Adiacebat isti suburbio Ciuitas Budæ inferioris: vastissima quidem: sed æquè, vt prior (demptis publicis, & aliquot priuatis ædibus) tugurijs casis, & harris plus quam Turcica, cænoq; satis inuia: sic vt non facile fædisimorum Iudæorum nomen, de quo dicitur, dedignari debuerit. Mustaphæ tamen Begi ædes, Danubio superædificata, incundo prospectu, tabularisq; concinnioribus visebantur, mapalijs mercatorijs, tabernisq; oppositæ: iuxta quas longo tractu plateam, duabus Moscheis spectandam, ad superioris ciuitatis cliuum extendi vidisses. Ciuitas ista muro, antiqui operis, & pinnis, pro more, fenestrato, inde à Danubij ripis, ad dorsum vsq; montis, cliuoso ascensu cingebatur. Rotundius adiacebat flumini propugnaculum: quod turriculæ quadringentorum passuum spacio inuicem, plus minusq; distantes, eiusdem muri cohæsu, desuper aspiciebant. Exceptis illis, quæ ad incursantes transuersali tormentorum displosione, deturbandos facere poterant, parum impedi-

impedimenti oppugnaturus oppositum vidisses  
 si coaceruatis aggeribus, vastisque molibus,  
 plus roboris, quam lacertosis dextris, & defen-  
 sorum strenuitati attribuendum putaueris.  
 Non enim tantum roboris vetustioris stru-  
 cturae murus habebat: quantum loci dignitas  
 & vastissima capacitas requisivisset: sic ta-  
 men ut à praesidij Turcici pertinacia ad v-  
 trumque plus satis roboris mutuaretur: etsi ni-  
 hil praeter decorum Turcas admisisse dicam:  
 quod pro aris & focus, ipsaque propemodum pa-  
 trijs, evidenti semet periculo obiecterint: lo-  
 cumque, tam diu cultum, sanguine suo potius  
 rigare, quam deserere voluerint. Nec enim  
 minus (nisi probrose & effæminatae turpitu-  
 dinis notam incurrere voluissent) præstare  
 poterant: quam, locum, quem hæreditario  
 quasi iure, per totos quinquaginta septem  
 annos, summo in ocio securissime incolendum  
 & excolendum, imò perpetuò possidendum  
 (quod ex Moschæis & alijs coniectari licet)  
 delegerant, contra unum & alterum insul-  
 tum defendere. Vsq; adeò enim in delicijs hanc  
 Urbem habuerant, ut vel duodecim Moschæis  
 quarum

(quarum quatuor hac inferiore, duæ superiore, reliquæ Pesthij & in suburbio Orientali, gracilioribus turriculis, plumbeis tegulis & alijs Mahometicis ineptijs conspicuæ, visabantur) eandem nobilitauerint. Interiacebant enim inde à pomarijs arcis Regiæ Suburbana ædificia, consitis passim viridarijs, plus voluptati, quàm defensionis (quæ in loco, penitus nudo, frustranea fuisset) in seruiencia. Vallis ista inter Montem S. Gerhardi, & cliuum ciuitatis superioris, longissimo tractu protenditur, pluribus & in his non contemnendis ædibus, structuræ tamen Turcicæ referta. Huius per se amœnitatem summam, nec non protensam, inde ab arce Regia, usq; ad latus quodammodo Occidentale, Ciuitatem, circumquaq; superficiem cliuosa, & passim abrupta, super ædificatam, non satis intueri poteram: cum antiqua locorum nomina, per legiones Italicas, Consules Romanos mihi, Templum verò, structura & vetustate venerabile, Reges Christianos, & Moscharum monstra porcos Mahometicos representarent.

Quod

Quod enim faustum felixq; sit Reipubl. Christianæ, tantoperè à nobis formidatum Castellum, in præcipitio Montis Gerhardi extractum, spontè deseruerant Turci: sic vt ex editissimâ ista specula, vndiq; valles & depressiora loca, penitissimè intueremur. Castellum illud centum passuum capacitate, nouo prorsus & opere & instituto, in supremo montis dorso, extruxerant hostes: & partem illam, qua (nam ab altera parte ipsa securitate securior erat) oppugnatio videbatur metuenda, cratibus seu pluteis ligneis, humoq; congesta ad summum vsq; repletis, plurimum communierant: inter quos tormenta disposita quemuis deterrere potuissent: si idem, quod sibi persuaaserant, præstolari ausi fuissent. Non enim frustra tam vastas eò machinas protraxissent: aut gemino muro locum, à natura munitissimum cinxissent: vel portam, ferreis laminis obductam, à tergo, terrâ, simoq; obturassent: aut deniq; geminis contis capitum Christianorum stationibus designatis, singulas pinnas muri interioris armassent: si tam repentino Panici terroris afflaru

afflatu semet ex animatos, hunc locum deser-  
 tuos esse, praevidissent. Nec enim bonis hisce  
 tam promptè cessuri credebantur: cum inde,  
 tanquam ex oculatissima specula de quibus-  
 vis, etiam è longinquo imminentibus, tempe-  
 statibus & insidijs, edoceri, praemoneriq̄ potu-  
 issent: cum praesertim Pestho praecipitium  
 illud, ad lapidis ferè iactum, non imminere,  
 sed impendere videretur. E regione enim  
 Buda, in Transdanubianæ sive Superiore  
 Ungaria non minus, quàm Buda, toto orbe  
 cognitum PESTHVM, tot stragibus cladi-  
 busq̄ nostris nobilitatum, satis spatiose mu-  
 ri octangularis tractu ambitur: planiciem  
 vastissimam circum circa ostentans: quæ plus  
 ad commendationem loci, quàm structura æ-  
 dificiorum, (quæ apud Turcas hanc assue-  
 tos, contemptissimè habetur) facit. Instar  
 enim stagni non commoti, latissimo spacio, à  
 Cisdanubianæis montibus perlustrari po-  
 test: plura devastatarum habitationum  
 ruderahinc inde ostentans. Erat tamen ali-  
 quot primorum mansionibus, nec non qua-  
 tuor Moschæis & peruetusti operis Sacello  
 B (quod

(quod Christianorum ceremonijs à Turcis indultum fuisse, aiebant) dignum: quod nos & intueremur, & perscrutaremur: cum quasi antipodes sub pedibus nostris, dum in monte S. Gerhardi prodeambularem, Turcas oberrare videremus. Etsi enim tutissimo coniunctus alveo Danubius hinc Budam & Pesthum intersecet: tamen montis eminens gibbus in tanta nos vicinia constituebat: ut non modò, conuicia spargentium voces expressè perciperentur: sed etiam certissimos globos in temerè oberrantes, vel ex tormentis manuarijs, Turcæ eructarent: quas tamen par pari non relatum nemo stomachetur: cum celsior ista superficies pulveri Pyrio violentiam, quæ sursum à natura tendit, ad depressiora loca eiaculantibus denegaret. Coniungebat utrumq; tam Oppidum, quàm urbem Pons naualis, ex centum, ut opinor minoribus nauigijs seu lintribus. Cum enim pons ex Facia in Insulam sexaginta sex, & ex hac in continentem, quadraginta quatuor nauigijs constiterit: tot lintribus hinc aequè vastam fluij latitudinem instratam fuisse opinor.

nor. Per natatilem hunc pontem, liberè & impunè per unum & alterum diem Turcæ commeabant, sic vt absq; discursantibus raro spectaretur. Moschæas ab ipsis frequentatas fuisse, captiua quædam affirmabat: quod ad tam repentinum, minimeq; prouisum, copiarum nostrarum aduentum, non sine causa primò cohorrerint. Cohorruissent autem diu ante, si, prudenti consilio longè antepensitatis rationibus, occasio, tempus, & quod omnium primum, diuini consensus gratia, suffragata fuisset. Quarum quidem omnium concursus, cum quod in rebus omnibus conficiendis, non iniuria requiratur: tum in re bellica, summè necessarius redè iudicatur. Paucis hîc, illorum sententiam, qui Budam Regni, de quo lis est, Metropolim, hostibus ante omnia extorquendam contenderunt, ad radios protractam ventilabo: cum nec absque omninò opinionibus inniti viderentur. Cum enim Strigonio, non sine sudore & sanguine recuperato, Plinteburgi arcem Anno 95. Vaciam 96. (hanc sepultura Regis Geysæ, & Episcopatu, illam Regio

Gazophylacio, coronæq; Pannonicae custodia, celebrem) receptas fuisse, & ad utriusq; ripæ impedimenta amolienda, tam Pesthum, quàm Budam versus, viam reclusam viderent: nihil prius agendum, nihil potius urgendum existimabant: quàm Metropoles Vngariæ receptionem: qua vel recepta, vel radicitus si ita res ferret, euulsa, ampullas barbarici fastus, quæ saluâ adhuc primariâ vrbe assiduè sufflabuntur, euanescentes, non incongrue sibi persuadebant. Accedebat, quod propter assiduas, pronoq; fluuio promptissimas, subuersiones, nec militem recentem, nec annonam sufficientem defuturam rectè sperarent: ut de commoditatibus reliquis quas alueus Istri secum fert, nihil diceretur. Astipulabantur hisce omnes omnium autorum exhortationes: quibus non minus com-  
meatus, quàm defensionis causæ ad hunc scopum collimabant: ne longius à Danubio digrederemur. In quam ego sententiam vel pedibus iui, & posthac iturus sum, qui maximo & dolore & detrimento, per triennium euidenter expertus sum, tyrannidis Turcicæ potenti-



tentiam, vel quinto loco, inter remoras, quæ  
victorias & triumphos nostros adhuc impedi-  
unt, statuendam: cum impietas erga Deum,  
primum, privati commodi studium, alterum,  
negligentia sanitatis publicæ, tertium, liuor  
& insidia, quartum, summo iure Turcis prie-  
ripiant. De quibus suo loco tractaturus: hinc  
breuibus tantum, cur vsq; huc suspensa, &  
tamen maiore ferè animo & prudentia, quàm  
robore & successu hoc anno Budæ expugnatio  
tentata sit, cursim expediuerò. Cum anno 96  
infra Vaciam consedissemus: nemo non erat:  
qui recentibus copijs tantam rem tentandam  
iudicaret. Erat in his, dubio procul, summus  
expeditionis eiusdem anni Præfectus verè  
Generosus Baro Adolphus Schuartzenberg-  
gius. Nec enim frustra numerosa manu me-  
nibus Pesthi, Mense Iulio adequitasset: si non  
Heroico ausu talia mente concepisset: quæ  
aduentus Turcici tyranni, roburq; hostium,  
paulò post fortiter quidem decreta, sed feli-  
cissimè intermissa, demonstrauit. Nam si ijs-  
dem furijs & numero, quo Mense Septembri  
ad vadum Kerestinium, Mahometes se no-

stris opposuit, in obsidione Budæ defatigatis, absumptisq; superuenisset: ludibrio dubie anticipatisq; fortunæ ea exposuissemus: quæ, si vel paulum à semita exorbitassent, in integrum restitui nunquam potuissent. Quomodo verò Anno 97. reditus, & tempus, & sumptus dispensari potuissent: cum ex Theodosia 22. Maij, è Papa 18. Augusti, de monte Pannonio 15. Septembris, in circuitu Laurini sitis propugnaculis, Turcæ essent exturbati: si Laurinum totius orbis Christiani terriculum, tanquam intolerabile iugum, ex humeris excussissemus? Cuius voti etsi compotes facti tunc non simus, Diuina maiestate sua illud munificentia reseruante: tamen ad defensionem vbiuis accinctis Facientes illi campi stabiliora trophæa erexerint; quàm si temerario conflictu periculis summam rerum exposuissemus. Hanc autem Athlanteam molem, & non nisi Herculeis humeris auferendam, postquam Deus 29. die Martij, quasi postliminio nobis reddidisset, cedò, an non satis maturè, an non satis prudenter, an non satis fortiter, ad subsecutam, & tantopere

roperè desideratam Metropoleos obsidionem,  
 tui defensores Hungaria semet accinxerunt?  
 Mature quidem, quod antequam constaret,  
 cui nam loco prædatorios ungues Vultur Tur-  
 cicus esset immissurus, tantam rem aggredi  
 inconsultum rectè videretur. Prudentèr  
 verò, quod non nisi obstaculis & remoris  
 omnibus penitus euulsis inter spem & metum  
 Albaregalenses & Budenses fluctuantes sint  
 constituti. Fortiter autem, quod exercitu,  
 nec robore, nec numero, satis firmo, expu-  
 gnationem moliri & exordiri sint ausi illius  
 loci: quem non numerosissimo exercitu, &  
 Prætorianorum cohortibus stipatus Soli-  
 mannus, Anno 1526. Anno verò 41. non,  
 nisi fraudibus & dolo aggredi & ingredi  
 fuit ausus. Nec nostrates maiore for-  
 san manu tantam urbem aggredi detre-  
 dtassent: si non expeditionis Æstivæ ne-  
 cessitas, & tot limitanearum arcium rece-  
 ptiones, vires exercitus necessariò contri-  
 uissent: Autumnii verò noxiæ, & negotio bel-  
 lico summè contrariæ, inundationes, diuer-  
 sis morborum generibus castra infecissent:

robustissimū quemq̄, atrocissimo impetu pro-  
sternentes. Quanta enim siccitate, siti & ar-  
dore solis, Mense Augusto ad Balatonem  
vsq̄ lacum spelæa Turcica, disturbantes, ex-  
coquebamur: tantā sequenti Autumno, &  
aeris aduersi tempestatibus exagitabamur:  
& propter cataclysmos hinc inde fluctuare  
cogebamur. Quæ quidem res Turcis, æquè  
vt nobis, impedimento præsentissimo futura,  
tot & plures publicis negocijs, remoras iniicit:  
quot vrbes duæ Vngariæ inferioris, tam sede  
quàm throno, & sepulturâ regum nobilissimæ,  
Buda & Alba regalis nobis obijcere potuis-  
sent: si non repentina prosperrimaq̄ expedi-  
tione, illa Baro Schuartzbergius amolitus  
esset. Factum illud indefessa industria verè  
augustis Mensis Augusti diebus, quibus sole  
ardentissimo, maximis itineribus, ne hosti-  
bus recolligendis spacium daretur, Theodo-  
sia, Gesthes, Tschokaky, Palotta, Vessprini-  
um, & alia inde à morte Regis Mathiæ Mar-  
tis aleâ variè exagitata, in potestatem Sa-  
cratissimi nostri Cæsaris redierunt. Tantum  
enim terrorem iusta seueritas, contra teme-  
rarios

varios Theodosiæ defensores, primo & secundo Augusti, dexterrimè decreta, reliquis incusserat: vt tertio Augusti Gesthes ad primum nostrum aspectum à Turcis desereretur: Sexto Augusti præsidium Tschokakyense fugâ, octauo eiusdem Mensis Palottenses deditione, nono Augusti Vesperinienses iterum fuga sibi salutiq; suæ consulere. Quam tamen tot locorum, licet subitanam, receptionem, neutiquam eleuauerit ille: qui recordabitur: Theodosiam nunquam vi violentâ spacio vnus diei expugnari potuisse: Gesthes autem & Tschokaky, celsis montium Verthes syluis densissimis conuestitorum, præcipitijs, extructæ victoriæ cursum, si non illudere, retardare tamen potuissent: de Palotta verò, per Bassam Budensem maximo apparatu obsessa, sed liberata Anno 1566. nostri Sinan Bassa Anno 93. triumpharit: vt de Vesperinio, quod nunquam nisi vi maxima, tam à nostris Anno 1566. Mense Iunio, quàm à Sinane Bassa Anno 93. Mense Septembri, expugnari potuit, altum sit silentium.

His igitur tam arctis capistris à ceruicibus

B 5

bis

bus nostris reiectis, cum tot exantlatis labo-  
 ribus, nos refocillaturi, ad Arrabonis ripas,  
 iuxta Danubium, 17. Augusti recepisse-  
 mus: aliquot Bohemorum equitum turmas,  
 ex opposita parte, consedissee videbamus:  
 cumq; Francorum, Saxonumq; equitatus, pro  
 more instructissimus aduentare nunciaretur:  
 & tormenta maiora conueherentur, eam,  
 que tandem cepta esse, obsidionem iam tum  
 animo concipiebam. Nec defuisset tempo-  
 ri & occasione rei bene gerenda Feldtmar-  
 schallus: si non, nubibus vndiq; resolutis, tam  
 procellosis ventorum turbinibus, quam im-  
 bribus & pluuijs, pluribus diebus absq; in-  
 termissione continuatis, Ister & omnes fluuij  
 vsq; adeo intumuissent: vt non modo suis se  
 alueis passim erumpentes, ad castra ventu-  
 ris vias intercluderent: sed etiam nos, qui in  
 minoribus Congestis 19. Augusti castra me-  
 tati fueramus, die 25. ad cliuos & editiora  
 loca recipere cogerent, nouaq; prorsus ratio-  
 ne, vel nauibus onerarijs commeatus, per  
 segetes & pascua adportarentur. Fuerunt  
 Autumnales istae inundationes, vt minimè  
 prouid-

prouisa, sic, plures ob causas, admodum ca-  
 lamitose: cum non modò máximo, rebus be-  
 nè gerendis impedimento essent: sed ad inse-  
 cutas lues, quâ tunc militum cohortes, & pau-  
 lò post iumenta, cateruatim prosterneban-  
 tur, ansam præberent. Hoc tamen inde com-  
 modi augurari poteramus: quod decliuiores  
 Ungaria campos, Laurinum versus, Tibisci,  
 Draui, Saviq<sup>3</sup> gurgitibus obrutos, æquè inuios  
 Turcicis conatibus reddendos præuidere-  
 mus: nobis æquiore paulum loco constitutis.  
 Non enim vsq<sup>3</sup> adeò vndis premebamur:  
 quod non indies vel aliquid roboris accessisset:  
 vel ad desideratissimam expeditionem ma-  
 tura præparatio instituta fuisset: cum secun-  
 do amne per hos dies aliquot copiarum pede-  
 strium signa deueherentur: plurimi globorum  
 ad tormenta curulia, Laurini armamenta-  
 rijs, depromerentur: equites grauioris & le-  
 uis armaturæ castris se iungere, pro virili ten-  
 tarent: & consilia de re tanta, publico, sed  
 secretissimo consensu, 7. Septembris commu-  
 nicarentur. Cum enim, ob incertissimas hinc  
 inde nostratiū fluctuationes, summâ consiliorū  
 nostro-

nostrorum penuriâ Turci laborarent: vt aliquid incerti indagarent, non temerè circa castra, per hos dies, oberrabant: sic quidem, vt 29. Augusti tres, in ipso Iaurini conspectu, interciperentur: reliqui 2. Septemb. Montem Pannonium inquietarent: nec quidquam, ad consilia Ducum recognoscenda, intermitterent. Non etenim sine ratione obsidionem Albæ Regalis (hanc magno spiritu 7. Augusti à nostris copijs vndiq; ambitam & perlustratâ sciebant) præ foribus esse verebantur: cum præsertim castra 9. Septembris mota quidem, & parùm promotâ, vidissent. Salubri prudentiq; consilio institutū illud fuerat: non minus hostium consilia elusurum, quàm aeris, iam tùm plurimum suspecti, puritati & sanitati Castrensi, quæ omnibus Turcis in Vngaria potior, consulturum. Mentione sanitatis castrensis facta, non possum non in laudes D. Feldmarschalli erumpere, quod patriâ saluberrimaq; prudentiâ, 13. Septembris, diu desideratum fructibus fugacibus exilium, seriò interdixerit: cum in gluuiei militari, quæ pro delicijs gulæ, morbos



bos & mortem paciscitur, melius occurri non  
 possit: quàm si eiusmodi edictis publicæ salu-  
 ti consulatur. Frustrà enim 12. Septembris  
 vado quodam, gemino ponte instrato, pede-  
 stres copias singulari dexteritate, roboris ca-  
 strensîs cognoscendi causa, numerari iussisset:  
 si paulò post imbelli mortis genere, quæ con-  
 gestis tot veneris maturatur, illas absumi vo-  
 luisset. Erant enim iam vires exercitus, æsti-  
 uæ expeditionis laboriosa, licet fructuosa mi-  
 litia satis attrita, vt quorundam detestandis  
 technis, (quibus priuata publicam utilita-  
 tem postponentes, non viros, sed nomina sub-  
 ornare solent) obuiam iturus, prudenti con-  
 silio, in transitu pontis naualis, qui è regione  
 Comorrhæ, 16. Septembris, palis affixus fue-  
 rat, authorari milites dexterrimè voluerit.  
 Tunc quoq; Turcis huc vsq; perpetua dubi-  
 tatione vacillantibus, scrupulus exemptus  
 est: sic tamen vt nec adhuc, ob Serdaris  
 Bassæ impetum in Transylvanos, quicquam  
 securè sibi polliceri auderent: etsi ad Budam,  
 com meatu & præsidio instruendam, plus satis  
 temporis daretur. Nec enim, propter hinc  
 illinc

illinc interiectos gurgites, quibus Danubius  
passim euagabatur, ad Faciam coniunctis ca-  
stris, ante penultimum Septembris, (cum pri-  
us vterq<sub>3</sub> pons Gomorrhensis dexter 21. sini-  
ster 22. sublatus, & ad ripas Insulares, dedu-  
ctus esset) exercitus noster confedit: quo con-  
fidente, nullâ morâ interpositâ, pons naualis  
est constructus: vt eo, ipsis Calendis Octobris,  
felicibus auspicijs, copiæ in insulam Vische,  
traducerentur. Insula ista, quæ à Plinte-  
burgi radicibus in conspectum vsq<sub>3</sub> Budæ pro-  
tensa est, Faciæ è regione opponitur, Anno  
26. huius seculi, strage plurimorum, qui huc  
tanquam ad asylon se receperant, nobilitatâ,  
commodissima erat: cum ad tutissimam ca-  
strorum metationem, tum ad pontis in hosti-  
lem ripam, protentendi commoditatem. V-  
trumq<sub>3</sub> elargiebatur Insula ista dexterrimè:  
sic quidem, vt ponte, paucis horis constrato,  
Primo die Octob. Equites, Peditesq<sub>3</sub> com-  
modè transirent: inq<sub>3</sub> Insula, ad magnum  
miliare descendentes, iuxta desolata qua-  
dam loca, castra metarentur. Classis nostra,  
quæ 24. agilioribus celocibus (quas Tschei-  
kas

kas vocant) constabat, in fronte nauium onerariarum, Pesthum versus, erat constituta: cumq; tergum Insulae, vix non ad Diuae Margarethae Insulam, & sub tormenta Pesthensium protenderetur: sic, vt res, periculi plena, videretur: si classis plurimarum nauium, trecentarum ferè, propter subuectiones globis exponeretur: Idcirco primò naucleris iniungebatur: vt, retrograda via, naues ad insulae caput, retraherentur: vnde, secundo flumine, tandem nobis in ripa Budensi, confidentibus, tutè delaberentur: quod tamen, certas ob causas, postea suspensum fuit:

Cum igitur, Secundo Octob. die, propter pontem, ex Insula ad continentem siue ripas Budae 44. nauigijs imponendum, exercitus conquieisset: emissi exploratores retulerunt: nusquam insidias Turcicas metuendas. Quod eò minus credibile videbatur: quò viciniore hostium spelæis summis eramus. Et tamen, hoc vero verius esse, re ipsa experiebamur: cum eo die, circa meridiem, ponte instrato antesignani nostrates in ipsis S. Andreae

*Andree ruderibus consedissent. Est vicus S. Andree, in editiore colle, seu cliuo, templi vetusti, & opere & circumiacentibus edificijs antiquæ felicitatis index. Ad huius radices directim pons extendebatur: eò tutior, quod Feldmarschallus, fossis & vallo, satis altis, eundem, nec non quadringentorum peditum Hungaricorum præsidio, prudentissimè cõmunijset, & licet minora tormenta, curulia tamen, hinc inde tumultuario opere constructis, fortaticijs, ad quemuis insultum sustinendum, disposuisset. Mirabar hostes, cum præsertim equitatu valerent, non plus negocij nobis, in transitu fluij occupatis, fecisse, cum traiectiõni, si non pedicas, remoras tamen maximas, iniicere potuissent: si velitarijs pugnis ripas inquietassent: & locum, paruo momento muniendum, præoccupassent: nec non tormentis, facili negotio reducendis, pontem extrui vetuissent. Vtraq; enim, & Buda & Facia, in conspectu erat: sic, vt insidias, vel è longinquo præcauere, suæq; salutis consulere, potuissent. Quod tamen ab hostibus 2. Octobris neglectum fuit: illud sequenti die rejarcire*

resarcire sunt conati: dum pluribus equitum turmis, Budaeductis, ad vadum quoddam, iuxta rudera templi Scambriion, à peructusta Sicambria dicti, tormenta aliquot campestria protraxerant: ut ijs in velites nostros detonantes, palustri & vliginoso transitu implicatos, terrore magis, quàm damnis afficerent, cum frustranei idus raro votis ipsorum responderent: Mitius igitur hîc, cum nostris, actû quàm circa Varadinum cum hostibus: qui perpetuas quinque dierum velitationes, ab equitatu subsidiario, sustinere sunt coacti: priusquam castra metari, & obsidionem moliri potuerint.

Etsi enim, 4. Octob. die, (quod felix faustumq; sit vel in posterum Reipubl. Christianæ: cum eo tandem Metropolis Vngariæ iterum obsideri cæperit) ingenti equitatu se nobis hostis opposuerit: & nihil non ad hostem, longius ab aris focisque submouendum, sic molitus: sic, ut pluribus sauciatis, aliquot peremptis, caput amputatum, boni ominis ergò, per Hujaronem sit oblatum: tamen incredibili animorum magnitudine, intra suos se cancellos recipere, vel ante auroram subsequenti diei, cogebantur:

bantur: etsi totius diei continua profectio, licet lenta, miles noster esset exhaustus. Erat sol istius diei serenissimus: sic, ut aciebus instructis, ordinibus explicatis, equitatu turmatim densissimis & latissimis cuneis producto, carris & impedimentis mediò receptis, ad desideratissimum Budæ conspectum (quantum per paludes, & alia licebat) festinare videremur. Passim enim gurgites, & restagnantes adhuc ex inundationibus paludes ordines interturbabant: sic tamen, ut, cum singulis peditum legionibus terne colubrinae, siue falcones, adiunctæ essent, securitati consuleretur: & vnus ad alterum, quòd per necessarium, respiciens, Equitatus circa 3. & 4. pomeridianam in ipsis Sicambrij oppidi, quondam Budæ antiquæ, ruderibus castra metaremur. Huc priusquam ventum esset, hinc inde per planiciem (quæ inter montes, perpetua serie protensos, & Danubium, latissima est) campi, veneranda antiquitatis Romanae, monumenta aquæductuum conspiciebamus: quibus conspectis, ut eodem loco, quo prius, securæ & fascës Romani obseruati fuerant, sub  
 Aqu-

Aquilis eiusdem Monarchia, Turci pœnas darent, exoptabamus. Et hæc quidem vota redintegrabamus: postquam ipso in limine nostris, cum hostibus congressos, fortem fidelemq; operam sibi invicem præstare, videremus: & Turcas magno fremitu, sed, Deo laus, ut plurimum irrito, nostros excipere audiremus. Iam enim Turcæ, latibula nostris sclopetarijs subtrahuri, vastissimum viridarium, Bassæ Budensis, maceria cinctum, & per amœnis ambulacris exornatum incendebant: quo conflagrante, inter ipsos torres, flammam & fumum sensim nostri ad reptarent: hostesq; per præcipitia montium, palantes, cominus & eminus ferirent. Montem enim S. Petri, rectâ Budæ Superiori oppositum, numerosa manu defendendum, susceperant Turcæ: quòd acclivioris loci conscensum molestiorem fore, pediti, iam defatigato, rectè præfagirent. Contineri tamen miles non potuit: quò minus, posthabitis, omnibus illo ipso statim momento, manus cum hoste conserere anhelârunt: quòd strenuè quingentis primò Sue-

uorum sclopetarijs, mox Gallis, & alijs Imperialibus cohortibus, succedentibus, factitatum fuit. Etsi autem tunc receptui fuerit canendum: cum crepusculo, densioribus nubibus conuestito, indiscretim strages edi potuisset: tamen Turcæ, paulò post ingenuè semet inferiores fuisse, sunt confessi: postquam iugum illud montis, magna pertinacia defensum, post primas excubias deseruissent: seq̃ in sua latibula recepissent. Eandem passi sunt fortunam duo myoparones Turcici: qui aduerso flumine, iuxta ripas Pesthenses, reuulsi sursum tracti, post insulam S. Margarethæ in insidijs delituissent: nisi Schuartzbergius, duobus Falconibus, in editiore loco constitutis, certissimis ictibus ex statione eiccisset: & ad Pesthum repulisset. Locum istum, ex quo commodè tormenta exonerabantur, cum diligentius perlustrarem, antiquitus terminum & receptaculum aqueductuum fuisse, animaduerti: cumq̃ ad fluminis securitatem procurandam, rectè relinqui posse viderentur: toto tempore durantis obsidionis illic in excubijs relinquebantur.



Ex transfugis duobus, & aliquot rusticis, per  
Cosacos interceptis, hoc die, de præsidij robore,  
& propugnatorum officijs, certiores reddeba-  
mur. Affirmabant enim ultra septem millia  
militum, tam Budæ quàm Pesthi, non esse, sed  
præcipuæ dignitatis atq; experientia plures, &  
in his tres Bassas Budensem, Bosnensem & Ca-  
ramannum, illis præesse: Intestina tamen dis-  
cordia tunc temporis plurimum laborasse: quod  
Bassa Bosnensis, ad conflictum quidem, & ad  
manus, instructa acie, conserendas, nil pericu-  
li se subterfugiturum, deierasset: se tamen  
claustris aut muris coherceri nolle. Nec enim  
quamdiu, libero in campo, cum equitatu suo,  
circumvagari posset, carcere quasi se includi  
passurum: cum præsertim finibus suis, (iam  
enim de irruptione Croatia rumor percrebue-  
rat) hostili incursionis obnoxius, carceri quasi  
mancipatus, succurrere non posset. Statim igitur  
Pesthum versus transtulerat: ex ijs, tan-  
quam ex specula fulminibus præuisis, rebus  
suis consulturus. Huius igitur anceps, & Bu-  
densibus satis calamitosa, pusillanimitas, quan-  
tò maior, tantò maior nostrorum alacritas, vel

media nocte, semet declaravit: cum ex mandato Ducum, ad tria militum millia, una cum legione Sueuica, ante 12. noctis, in recens partis montium iugis constitissent: ac quatuor tormentis, eò protractis, inquietissimam imò per excubias ubiq; propter eruptiones hostiles, hinc inde locatas, insomnem ferè transgissent: maximo desiderio diluculum spei plenum expectantes.

Vix enim Quinto Octobris aurora rebus gerendis lucem attulerat: cum subito aliquot peditum manipuli Inferioris oppiduli, S. Petri Martyris quondam vocati, crates, quibus non longè à thermis Regijs clauderantur, inuadentes, aliquot ex hostibus trucidatis, nostrorum aliquot vulneratis, ex illo toto tractu, qui thermas & Inferiorem Ciuitatem separat, Turcas eiecerunt: qui Christianis, ad labores prorsus Herculeos secum intra mœnia abreptis, vilem admodum, nulliusq; momenti prædam, reliquerunt. Viginti tamen, pleriq; imbelles, in manus nostrorum uerunt: quod donec furor militaris, qui primo

mò

mò maximus, deferbuiſſet, in ſubterraneis locis ſemet abſcondiſſent. Erant vt prius dictum hoc in loco pulueris Pyrij parandi molendinae: harum vnã, globo ignifero tactã, incenderant hoſtes: cum aſſatim globos, in hinc illinc, cateruatim oberrantes, eructarent. In Ciuitatis enim Superioris fortalicio quodã, intra duas turres, (hanc ex miſerijs captiuorum, illã ex religioſa vetuſtate nobilem) aliquot colubrinis & falconibus diſpoſitis, ad amuſſim quaſi, in diſcurſantes fulminabant: vt abſq; præſentiſſimo DEI nutu, longè plus damni datum fuiſſet: quã tot, & toties maximo concurſu hinc illinc oberrantibus datum fuit. Diuina illud prouidentie vel meritò aſſcribo: quòd recorder: me ſæpius hac trieteride ſubſultantes, inter iumenta & viros, globos vidiffe: & videndo obſtupuiſſe: cum, in confertiſſimis nonnunquam cuneis & turmis, illos indemnes circumuolare viderem. Quatuor tamen curulibus tormentis, in montem prædictum protractis, hoſtibus par pari referre ſtudebant noſtri: ſic, vt, quemlibet iſtum vindex ferè globus mutuis iſtibus vlciferetur

Hæc dum in superiore parte agebantur: interea peditatus, & præsertim Ordinum Inf. Austriae, pedetentim muro Inferioris Ciuitatis appropinquabat: cum qualemcumq; defensionem à casis & tugurijs mutuaretur. Qualemcumq; dico: cum, terebratis passim globis sclopetarijs ædiculis non multò securiores, quàm si in nuda planicie constitissent, videbantur: cum cuniculi aut fossæ, tam breui tempore, excuari nequiuissent. Turricula gracilis, Moscheæ Turcicæ, pro more, contigua, non longè à rotundo, iuxta flumen, propugnaculo conspiciebatur: Hanc vno & altero ictu demoliendam, quod rei tormentariæ præfecti non mox deiecerint, hanc ob causam, vel adhuc stomachor: quod in illa tanquam specula, constituti Turcæ, vel nobis spectantibus, hinc inde liberè, vnde nam periculum immineret, præuidere, & in vix conspectos certissimis ictibus collimare possent: vt tunc demum, cum circa 2. pomeridianam Petarræ violentia, circa quartam oppugnationis euentus expectaretur, non sine nostro damno liquidò apparuit. Cum enim nemo, trium vel quatuor horarum spacio, portam tam

ardè

ardè obturari potuisse vereretur, indomita  
 ignis violentia facile perumpendū, asseribusq;  
 confractis aditum recludendum, omnes spera-  
 bant. Appendebatur igitur ex mandato Pe-  
 tarra: cuius tamen operatio, non modò irrita,  
 sed damnoſa quoq; fuit: pluribus ex præcipuis,  
 rem strenuè vrgentibus, ſauciatis & occiſis: et-  
 ſi ad motâ portæ machina, præter vnum & al-  
 terum aſſerem validiſſimo impetu, non confre-  
 gerit: cum congestis & vndiq; conſarcinatis  
 impedimentis Turcæ eandem communiſſent.  
 Eundem euentum veſpertina oppugnationis  
 inſultus eſt ſortitus: cum hoſtes indefeſſo lapi-  
 dum pro more, iactu & pulueris nitrati copia  
 noſtrates non ſine clade reieciffent. Sequenti  
 tamen nocte, tribus vaſtioris magnitudinis  
 tormentis, & vna, vt vocant, cantrice, poſt  
 crates & foſſam diſpoſitis, non ſolum porta,  
 ſed quicquid obſtiterat, vnâ cum muro eſt de-  
 iectum: ſic, vt cachinnis exceptam Petarram,  
 breui morâ, maioris violentiæ machinæ probè  
 ſint vltæ. Nec ſegniter interim, tribus cantri-  
 cibus, duobus Serpentarijs & Falconibus ſur-  
 ſum verſus, ex editore loco mania verbera-  
 bantur:

bantur: sic vt sequenti die, murus, vel ad irruptionem tentandam, perruptus deiectusq; videretur.

Dic enim Sexto Octobris, cum absq; intermissione murus concuteretur, plures ex sclopetarijs nostris, tanta alacritate per collapsam maceriem in conspectum hostium, post diruta mania latentium, profiliebant: hos iactu lapidum, illos globos impetentes: vt vel hinc, & quid laudabilis emulatio, & summa de optimis spolijs spes concepta spes posset, liquidò constaret. Etsi autem in presentissimo periculo constituti milites, præter vulnera & ictus, nondum satis prostrato muro expectare poterant: tamen audacissimè prouolare, & ex editiore loco in hostes detonare, vidisses: sic, vt plures ex illis, etsi non incruenta nostrorum alacritas fuerit, trucidatos fuisse, verisimile videtur. Cum propter ægros, hinc illinc his diebus, non sine periculo, oberrarem: plures, ex peritis rei bellicæ, milites conqueri audiebam: per luctuosam quorundam pertinaciam, Imperijq; detractionem, & vt illi dicebant inobedientiam, qua summis, & rectè iniunctis edictis, recal-

citra;

citruerant, non parum damni hisce diebus datum fuisse: quod, utrum sic se habuerit, asseuerare nolo: hoc tamen scio: plures, & in his Locotententes aliquot ictos, tactosq; occubuisse: cum præsertim Pesthenses, ex opposito littore, auxiliarias manus obsessis strenuè porrigerent.

Nam Septimo Octobris, gemino maiore tormento, (quorum vnum Serpentina, alterum Cantriciis conditionis erat) Pestho eductis, & è diametro ad muri Inferioris Budæ defensionem directis, Pesthenses nostros sedulo crebris displosionibus, arcere longius nitebantur. Dictum est enim: quanta, & quàm noxia vicinitate vtrinq; consederint: sic, ut institutum illud hostile, non minus necessarium, quàm re-  
 Etè excogitatum fuisse, nemo non statueret. Et sanè longè plus damni datum fuisset illa transuersali collimatione: hinc trans Danubium, illinc à turriculis aliquot, nostris vexatis: si non hanc nostri ictus, illam fluuij latitudo paulò incertiolem reddidisset. Est tamen & hoc, & sequenti die, hostis illa rei  
 geren-

gerendæ occasione, strenuè & absq̃ intermissio-  
ne vsus.

Etsi enim propter certas causas, Octauo  
Octobris tonitruis, tam vrbanis, quàm ca-  
strensibus, quasi per indicias silentium videre-  
tur iniunctum: tamen Pesthenses, geminis illis  
machinis, nos oppugnare non cessabant: nostris  
interea, in tormentis, commodioribus locis &  
mâiore numero disponendis, nec non in ponte  
nauali hostium confringendo occupatis. Post  
meridiem enim aliquot decussatim connexæ ra-  
tes, humo saxisq̃ repletæ, secundo flumine, de-  
mittebantur: vt illarum impetu pons dissolue-  
retur. Consilijs his euentus respondisset, nisi pau-  
lo nimis onustas naues, impetus fluminis ad ri-  
pam, nimis citò, vel deuoluisset, aut submersis-  
set. Vtrumq̃ propter calamitatem geminam,  
ex ponte saluo, tam nono quàm decimo huius  
mensis maturatam, satis auspiciatum fuit. Con-  
uehebantur hac die plures, ad tormentorum de-  
fensionem, requisitæ crates, & alia supelletilis  
bellicæ instrumenta. Vespere enim huius diei  
septendecim grandioribus tormentis curulibus,  
ijsq̃ maximis, partim ad fossas in oppidulo intra  
lapidis



lapidis iactum deductis, partim versus manum dextram proximè muris admotis, sic, vt val-  
lis tantum, & restagnantis aquæ piscinula interesset, omnia ad maiorem violentiam dirigebantur, hoste non minus suis commodis inuigilante: cum eruptione facta, tres longius temerè progressos, vi secum captiuos abduxe-  
rit: alios obruncârît. Nec Pesthenses insi-  
dias struere cessârunt, ex S. Margrethæ Insu-  
la, quæ in medio alueo, vt dictum est, aliquot cænobij desolati rudera ostentat, certioribus ictibus nostros infestaturi: si non, duorum ferè millium præsidio, præoccupatam, deserere co-  
acti fuissent.

Nonus Octobris dies, ob aduentum se-  
reniss. Archiducis Mathiæ, plures ob causas,  
nobis auspiciatissimus videbatur: cum, quod  
iam gliscentes discordiarum flammæ, quæ in  
conflagrationem Reipub. Christianæ alias eru-  
pturæ videbantur, Imperatoria autoritate  
restinguendas præuideremus: tum, quod iam  
tandem illa voluptate, quàm tanto perè deside-  
rabamus, nos fruituros auguraremur. Primo  
enim statim solis exortu, rotundū illud, iuxta  
flumen

flumen, fortalicium, quod huc vsq̄ vexillis si-  
ue signis rubeis superbierat, tribus maximis  
tormentis, solo ferè æquabatur: duob̄ autē fal-  
conibus ex Pesthensiu ripis deturbabantur illi:  
qui hætenus impunè in nos grassati fuerant.  
Excepto Sereniss. Archiduce, quod circa secun-  
dam pomeridianã fiebat, periucundo Turcici  
erroris, & præcoci festinationis, qua ante victo-  
riã in uinã celebrantes, pessum ierant, specta-  
culo recreabamur: quod, licet à me non visum,  
verè tamen factũ, recensere lubet: Navis qua-  
dam, partè Turcicum dissolutura, puluere &  
occultis artibus instructa, prono flumine, dese-  
rebatur. Hanc cum, abruptis anchoris, sine re-  
mige delabi putarent pyratae Turcici: mox  
duabus celocibus actuarijs obuiam tendunt, &  
quidè, vt audiui, non sine æmulatione: cum  
quisq̄ primus prædæ particeps fieri anhelaret.  
Tanti igitur tumultus Vulcanus, ille in insidijs  
positus impatiens, ad primũ insipientiũ impe-  
tum, suas compedes indignabundus confregit:  
geminamq̄ nauem, vnà cum omnibus, qui hoc  
auro Tholosonio potiri voluerunt, secum ad  
ima demersit. Hanc, ex præpostero Turcarum  
tri-

tripudio, conceptam iucunditatem, non modò  
 temperavit, sed prorsus extorsit periurissimo-  
 rum duorum nebulorum detestandum trans-  
 fugium: quo immemores, & huius, & æternæ  
 salutis certissima iactura, per vi reclusum adi-  
 tum, ad ipsos Turcas (horresco referens) defe-  
 cerunt. Quid præsentissimo suo excidio, hos  
 nebulones tantum nefas aggredi compulerit:  
 vehementer dubitarem: nisi Sathanam, vi-  
 uum & verum horum catharmatum archite-  
 ctum esse, vel meis oculis vidissem. Ecquis enim  
 unum, ex transfugis, quorum sex 25. Augusti  
 Anno 1597: Papâ recuperata, palis confige-  
 bantur, per sex horas vivere potuisse, in tantis  
 cruciatibus (quantos pali, trium palmarum,  
 crassities, pudendis partibus recepta, & ad spi-  
 tham altitudinem, media ceruice protuberans,  
 exquisitissime infligebat) credidisset: nisi ad  
 blasphemias, in Deum eructandas, Sathanas  
 mancipij sui linguam commoderatus fuisset.  
 Idem de his & alijs eiusmodi bestijs, iudiciũ  
 esto. Etsi autem non paucj ex Præfectis tormen-  
 torum librandorum hoc die, nec non plures ex  
 gregario milite sunt, glandib<sup>9</sup> aut globis traiecti  
 tamen

tamen hoc die & sequenti nocte, commodissimè tormentis dispositis, inde à flumine sursum versus, tribus in locis, ad sequentis diei triplices insultus, mœnia sunt perterebrata.

Cum enim iam Decimo Octobris, dies illuxisset: maiore, quàm antea, vehementia rotundum iuxta flumen propugnaculum Inferioris Budæ & circiter quadringentorum passuum intercapedine, murus versus latus dextrum, duobus in locis, concutiebatur: sic, ut ante meridiem murus magis materiâ, quàm arte & densitate conspicuus solo ferè æquaretur. Prasagientes hoc Turcæ, alijs, non quidem admodum profundis, incursionè tamen quamvis auersuris, fossis & vallo congesto domos & plateas obsepiebant. Carris quoq; cratibus & tonnis, humo repletis, nec non alijs impedimentis plurimis vias hinc inde intercluserant: sic ut, hostes de salute sua non desperasse, consentaneum videretur. Quod enim vel effeminatum quemuis erigere potuisset, Superioris Budæ tormentis semet evidenti nostrorū periculo defendendos sciebant: cum dispositæ, tribus in locis, ut medio feruente tumultu vidi, machinæ aber-

raro

rare non possent: ex loco peridoneo librationibus commodissimis inseruientes. Ex tribus turriculis quoque, quæ muro adhærebant, tormentis, licet minoribus, instructis, per obliquum transuerberaturos, & penitus exclusuros nostros incurstantes, opinabantur. Sed erat opinio tantum quam Tacadamon, Mahometis sui mancipijs tantum inspirauerat: meritissima supplicia illis maturando: quos iam sic volentes, Orco adiudicauerat magnus ille Michael. Hunc enim nostris cohortibus antesignanum fuisse hinc coniecto: quod evidentissimo signo gratiæ, Iride nimirum expressissima, diem hunc Turcis calamitosum, repentina serenitate, præter spem, introducta nobilitauerit. Cum enim aurora, turbine vehementer commota, nec non pluuijs humidior esset: paulò post discussis nubibus, & vento quodammodo pacato, Iris illa semet conformauit: sic ut urbi & castris interposita benigno fœtu hæc penitus amplecti videretur. Etsi autem hanc, tanquam secutorum imbrium, & perpetuarum pluuiarum  $\pi\sigma\delta\sigma\mu\lambda\omega$ , nonnulli in peius interpretarentur: tamen me in spem indubitatam victo-

D

ria,

ria, certò futura, erigebat: cum præsertim à fide dignis, prodigia in receptione Laurini, coruorum concertantium, & ciconiarum, cum acie ad nidos reuertentium, obseruata recordarer. Viguit enim vel adhuc, semperq; vigebit LEHOVÆ, vltoris in contemptores S S. sui nominis, vindicta: quæ vel hoc die ferream istam virgam fortiter confregit. Cum enim viginti vastioribus tormentis non minus murus Superioris Ciuitatis quateretur: quàm fenestrata iam mœnium ruina dilatarentur: sic, vt ad impetum faciendum via vi facta esset: neutiquam cunctabantur tam summi, quàm imi: vt tandem voti compotes facti, cominus cum hoste congregi possent. Ad hoc autem præcauendum nihil non moliebantur Turcæ: strenuè, & absq; intermissione tormenta edconerantes: sic, vt plurimi, & ex his non imæ fortuna, vel saucia- rentur, vel transuerberarentur, aut prorsus discerperentur. Erat in his Tschattobrynius, Dominus Bappardi, Gallici peditatus Ductor, cui rem tormentariam strenuè vrgenti, & ad ictus dextrè dispensandos circumcursitanti, caput est abreptum: Prætereo plures, eiusdem fortunæ participes: quorum tamen memoria non minus

felix & honesta esset : quàm duorum nebulo-  
 rum, qui paucis ante occupatam Civitatem ho-  
 ris per deiecta rudera ad hostes (vide cecum  
 Sathane ludibrium) defecerunt, infelix &  
 damnata fuerit. Erat iam circa tertiam po-  
 meridianam : cum ob plures causas, iam decre-  
 ta oppugnatio tribus in locis, simul erat aggre-  
 dienda. Nemo hic expectet specialem, de omni-  
 bus & singulis, quid quisq; laude vel vituperio  
 dignum fecerit, enarrationem : cum, tædio lecto-  
 ris & leniori consulturus, quantum possim, vela  
 contrahenda existimem. Hoc tantum dictum  
 sufficiat : quod vel ex euentu liquet : exhorta-  
 tionibus Ducum milites omnes singulari alacri-  
 tate & promptitudine respondisse. Expecta-  
 bant illi, máximo cum desiderio, & acie stan-  
 tes, quando tandem signum, ad diu flagitamam,  
 spe prædæ, oppugnationem daretur. Dabatur il-  
 lud ex nutu Serenissimi Archiducis, qui in edi-  
 tissimo monte, non sine periculo, (cum directim  
 eò Turcæ tormenta exonerarent) cum ala au-  
 lica constiterat, circa tertiam, tympanis & tu-  
 bis terclangentibus : ad quorum clangorem, piæ  
 & felicitis deuotionis ergo ter genibus flexis, ter

venerando IESV nomine proclamato, miles quasi expiabatur. & ad acerrimum impetum inflammabatur. Verè hoc factum fuisse ille perseueraret: qui incredibilem in conscendendo alacritatem militum, inter medios furentium Turcarum iactus, ictus, acinaces sagittas, faces deniq; mecum aspexisset. Nec enim, communitantum modo, se defendebant hostes: sed immani quædam rabie, nostris, in superiore parte summa violentia deiectis, per illum ipsum reiectum murum recedentes cateruatim persequabantur: & vsq; ad piscinulam illam, de qua supra dictum, telis & saxis insequabantur: illis, qui pedem referre non poterant, miserè dilaniatis. Cum hæc vidissem: ad extremum medium necessariò confugiendum esse arbitrabar: vt scilicet, diuersis in locis ædificijs succensis, semi-exusta vrbe potiremur. In hunc enim finem aliquot mortarijs, piceatis sulphureisq; globis instructis, vrgenti necessitati iam erat prospectum: quo tamen duro cuneo, diuina aspirante gratia, paulò post non opus esse videbamus. Iam enim, in inferiore loco, iuxta flumen, violentissimo impetu deturbatis longè latèq; defensori-



soribus, nostri irruerant: etsi verè confirma-  
 re possim, tanto, tamq̄ denso globorum nimbo  
 (& quidem ex Superioris Ciuitatis tormentis  
 grandioribus, quæ tam impensè in nostros ir-  
 ruentes exonerabantur, vt vel in ipso oppugna-  
 tionis vigore, puluis pyrius succensus, hostes ex  
 propugnaculo, iuxta parochiam antiquam re-  
 iiceret) nostros obrutos fuisse: vt simile quid nec  
 vnquam, viderim: nec forte visurus sim. Re-  
 stitissent tamen diutius, & ancipiti Marte con-  
 fluxissent, huius tertij aditus defensores: si ean-  
 dem à tergo, quam à fronte, rei gerendæ occasio-  
 nem habuissent. Hanc enim extorquebat fugi-  
 entium iam, máximo scilicet ardore repulso-  
 rum, & latibula quærentium, sociorum palans  
 agmen: quod à reliquis duobus ruinis pulsum,  
 fugatumq̄ à flumine, sursum versus, ad angu-  
 portus & spelæa trepidè repellebatur: Hoc enim  
 ipso istorum etiam manus obtorpuerunt: pe-  
 demq̄ referre, frustra tamen, ceperunt. Frustrà  
 dico: quod à receptis iam intra muros, militi-  
 bus, sanguine & cæde exacerbatis, præter cædes  
 & mactatus, nihil expectare potuerint: nec  
 omninò debuerint: etsi sexus ætatis rationem

nonnunquam habendam existimem. Sed  
 surdo fabulam. In persequendo victoriae cur-  
 su se viros praeberunt aliquot ex peditatu Ger-  
 manico: qui soli posthabita praedandi libi-  
 dine, duobus vexillis hostes, Pesthum versus,  
 per pontem naualem, euasuros, insecuti non  
 prius cessarunt, quam repentina celeritate, &  
 quod exacti iudicij, singulari solertia molendi-  
 nas duas natatiles, & Galeonem, funibus dis-  
 sectis, magno fluminis impetu, ad pontem  
 iam confertissima turba terga dantium,  
 Turcarum repletum, dissoluendum demi-  
 serunt. Inde enim factum: ut una cum  
 ipso molestissimo pondere pons rumperetur:  
 & (ut aiunt) ad mille hostium, felici  
 naufragio, submergerentur. Hoc si verum,  
 ne contra regulam illam bellicam, qua ho-  
 stis fugienti aureum pontem insternendum ad-  
 monemur, peccassemus, dum ad pontem, qui ta-  
 men hoc die nobis fructuosissimus, rescin-  
 dendum, nihil reliquum fecimus. Non  
 paucos enim, ut ex transfugis postea intelle-  
 ximus, ex desperatissimis hostibus vel pontis  
 submersione deletos, vel Pesthum, ponte salvo,  
 sua-

euasisse, Budenses doluerunt: quorum praesentia, si Superioris ciuitatis portis essent recepti, longè difficiliorem nobis obsidionem reddidisset. Conabantur equidem, ciuitate iam capta ad Urbis asylon, conuolare Turci: sed cum nostris, à tergo imminentibus simulq; cum fugientibus, irrupturis, nequaquam diu portas patere consultum putarent, plurimos muris exclusos, in potestate nostrorum reliquerunt. Hi enim usq; ad ipsas Urbis portas, Marti & Morti litantes, euaserant: sic, ut elusa grandiorum tormentorem violentia, siphonumq; minorum sclopis, iaculis & saxis tantum resistentes Turcos usq; adeò irriderent: ut per quadrantem horæ, triginta ex nostris, portam claudi vetuerint: sic quidem, ut hoc vespere de summa rerum concertatum fuisset: nisi tenebræ noctis, & militum, partim prædæ, partim cædibus, in loco ignoto, inuigilantium error obstitisset. Mactabantur enim hostium ad duo ferè millia: & in his ducenti ex primoribus, in ipso Mosebeæ Turcicæ limine, tanquam imbelles victimæ suo Mahometi semet immolantes.

Quantis enim furijs prius primò nostris oppo-  
 fuerant: tanta, & prorsus effæminata despera-  
 tione postea se confodi, mactariq; patiebantur:  
 vt virtutis, quæ non moreretur inulta, summè  
 immemores, æterna infamia, vel in inferno,  
 sint onerandi. Qui enim longè plus damni for-  
 titer resistentes, nostris, vtpote fessis, & errore  
 locorum implicatis, inferre potuissent: illi, mo-  
 re boum, corpora ad recipiendos ictus, vix non  
 denudârunt: vt mugientes magis, quàm ferien-  
 tes, inhonesta morte humum morderent. Vixigi-  
 tur decem, iam capta ciuitate, ex nostris sunt  
 desiderati: cum prius ad sesquicentum, & in his  
 non pauci lautioris conditionis, inter quos verè  
 generosus Baro VVilhelmus Landauius, qua-  
 dringentis ferè sauciatis, occubuisent. Etsi au-  
 tem opimioru spolia iam dudum in tranquillio-  
 res portus auehi potuisse, verisimile videbatur.  
 tamen ex illis, quæ à me sunt visa, Metropoleos  
 expugnationem, vel gregario militi satis fru-  
 ctuosam fuisse, coniecto: sic, vt pertinacissi-  
 mam alacritatem, & incredibilem ardorem,  
 quem inuito Æolo & Ioue, vsq; ad extremum  
 omnes ad expugnandam urbem præ se tulerunt,

runt, hinc non parum succensum, inflamma-  
tumq; putem. Potissimum tamen, & publicæ  
commoditati maxime inferuiturum, detri-  
mentum hinc Turcis illatum existimo: quod  
inde ex Porto Euxino, aduerso flumine, attra-  
ctum commeatum, hordeum nempe & alia, in  
hac Inferiore Buda, vnà cum nauibus, hosti ex-  
torserimus. Quid enim hosti, in desolata circum  
circa regione viuenti, acerbius calamitosius ac-  
cidere potuisset: quàm sumptè necessarij penus  
ereptio: cum eundem, tanto sumptu & sudore,  
vel ex Asiæ finibus conquisitum, emendicaue-  
rit? Durius enim vel nobiscum (qui tamen,  
proh, quantis occasionum ethesijs, præ hostibus,  
recreabamur) actum fuisset: nisi iumentis no-  
stris sagina hostili, ægrotis commodis habitatio-  
nibus, gelu exanimatis lignis, à direptis casis  
mutuandis munificè prospectum fuisset. Mira  
enim in his prodigalitas, & quod copię erat,  
munificentia nobis, ad contemperandos tempe-  
statum furores, quibus postea indefinenter vsq;  
ad stuporem, excruciabamur, materiam sug-  
gerebat. Vix enim diurnus istius victorię labor  
ad finem erat, non tranquillum tamen (quis

D 5

enim

enim, in ignoto loco, media nocte, spolijs inhiantes, diuersas Nationes, nocte aufferente pudorem, signa sequi potuisse putet?) deductus erat: cum subito procellosis turbinum violentissimorum ventis pluuijsq; cælum & terra, misceri viderentur. Prædixeram hoc satis confidenter: quod Sathanam, Totide, & alijs natorum suorum latibulis, non sine sanguine expugnatis, suis alumnijs parentasse, & collis nubibus, tam coruscationibus, quàm imbribus & ventis iusta illis persoluisse, & in aere, princeps aeris, triumphasse, recordarer.

Novi ciues & incolæ, Budæ Inferioris facti, milites, sequenti diluculo, in ædibus diuidendis, stationibusq; designandis, occupati fuerunt. Vt ciuitatis illius inconuenientis, impatientissimi Turcæ, repentina eruptione, circa prandij tempus, quòd, in procellis & imbribus, Elychnijs sclopetarijs parum resistendum viderent, incautos inuadunt: ad quinquaginta, antequam ad arma conclamari posset, obtruncant: sic, vt vix non integram legionem, tam improuiso impetu consternatam, nisi Ducum autoritas iam vacillantibus præstò fuisset, ma-

Ximo

Ximo opprobrio affecissent. Quantum ex aliquot, rei tam funestæ testibus oculatis, audiui: liuorem & vindictæ cupiditatem hos s. o. pessundedit, intellexi. Coniurationibus enim factiosis illi, quos Valones vocamus, alijs rapinas vi extorserant: has igitur iniurias vlturi non, cum (vt aiunt quidam) potuissent, laborantibus suppetias tulerunt. Ne tamen simile quid tentarent Turcæ: vel in summis, & muro quidem contiguis, ædibus excubiæ disponebantur: & eruptiones subitaneas remoraturis impedimentis, carris, tonnis, & alia supellectile vilioris, plateæ & angiportus obstruebantur: cum propter pontem ruptum (partem enim, Pestho vicinam, superiore nocte Turcæ demoliti fuerant: sic, vt pontis vmbilicum, per hos dies, solum in medio Danubio fluctuare videremus) à Pesthanis nihil periculi exceptis globis, metuendum esset. Singulis hisce diebus, aliquot ædes, incuria militari, conflagrabant: sic, vt, vel hac die, totum id, quod hosti ereptum fuerat, in cineres redigendum vereretur: cum ventus, ab Aquilonio latere vehementissimis flammis  
inre-

incrementum maximum daret. Tanta enim  
 vehementia omnia conturbabat: ut pontem na-  
 tatilem, iuxta Vaciam dissoluerit & demerse-  
 rit. Leuis hæc, à Neptuno nobis illata, clades  
 censenda est, præ illa: quam Vulcanus Turcis,  
 huius diei sequenti nocte, Panico terrore exani-  
 matis, trecentis castelli S. Gerhardi præsidia-  
 rijs, intulit. Huius incensi desertiq; longè lateq;  
 relucentes, flammæ (quæ vento exaggeraban-  
 tur) postquam circa primas vigilias, cum stu-  
 pore, vidissemus: res, omnibus incredibilis, &  
 à nullo, nisi ab egregiè magnæ spei, expectanda  
 putabatur.

Verò tamen verius esse non modò, summo  
 mane, per exploratores, sed etiam, post meri-  
 diem, per maximam partem equitatus leuis  
 armaturæ, Feldmarschallo (quod ipse vidi)  
 seuerè rem urgente, omnibus innotuit. Octo ex  
 campestribus, duo ex maioribus tormentis, re-  
 liquerant hostes: sic tamen, ut, rotis & manu-  
 bijs illorum præustis, tormentis quadraginta,  
 quibus integris in Buda Inferiore potiti fuera-  
 mus, non responderent. Cum autem nihilo se-  
 cius intereà nostri in illo loco, quo iam, iuxta  
latus



latus Aquilonare, à nobis oppugnari potuisset  
 Buda Superior, aggeres eleuarentur: denuò  
 Turcæ (qui, hoc die, Varadini murum, geminis  
 catapultis sulphureis diruere volentes, & ipso  
 igne, & nostrorum virtute feliciter & fortiter  
 sunt reiecti) in paulò securiores impetum faci-  
 entes, tam feliciter eruperunt: vt, pro singulis  
 occisorum decurijs, vix vnicum ex suis reli-  
 querint.

Sanârunt tamen hoc, terrestri clade accep-  
 tum vulnus, celoces nostri: qui, sequenti die, sa-  
 tis supinè stertentibus vnus myoparonis, nau-  
 tis, & pyratis, ad vnum omnes, interfecit, ra-  
 tem secum aduexerunt: quibus vix portu suo  
 receptis, quadraginta Turcæ, sub Moscheæ v-  
 nius tecto clam per triduum delitescentes, sunt  
 protracti: quorum internecina cæde, sociorum  
 suorum manibus, reliqui manipulares parentâ-  
 runt. Admouebantur interea duæ maiores  
 machinæ propugnaculo quodam: quod, appen-  
 dice longa muris arci Regiæ connexum, aqua-  
 tioni obsessorum (cum ripam Danubij, Pestho  
 rectè oppositum, attingeret) peridoneum erat.  
 Quo minus enim in ripa illa, ad Australe Sub-  
 urbi-

urbium, commeari possent, hoc rigidissimo obice milites disiungebantur. Etsi autem continuis disputationibus Pesthani locum istum strenuè infestarent: tamen, sequentibus diebus, ex spelæo suo, Turcæ sunt eiecti: liberum quidem nostris, periculosissimum tamen transitum, propter liberationes trans & cis Danubianæas, quibus Pesthenses prætereuntis lateri, obsessi eiusdem capiti, insidiabantur, relinquentes.

Est infra Potentianam, prisca Romanorum colonia nobilem, vicus quidam Erd vocatus: ad hunc præcursores nostri evagati fuerant: præsidium, data acceptaq; fide, his conditionibus illos recepit: ut ad exitum obsidionis simul cohabitarent. Nec enim se contra stimulum calcitraturos: si defensorum Metropoleos ignominia suo pudori consulere possent. Nunciabantur hæc isto die 14. Octobris: quo Castellum S. Gerhardi, & longa serie adiacentes montes, ad secuturam rei benè & seriò agenda præparationem, perlustrabantur: & novis artibus Serdar Bassa Varadini duo primaria propugnacula excindere molitus est. Cauris flantibus assiduè isti dies inquietabantur:

tur: secuturarum tempestatum præcursoribus  
indubitatis. Mirabamur autem: cum hac die  
paulò tranquillior æther esset: non rectius, in re  
tanta, vel minimum temporis punctum, collo-  
cari. Nihil enim ferè contra hostem molieba-  
mur: illo nihilominus, ex Pestho & Buda, ma-  
ioribus minoribusq; machinis, sic fulminante:  
ut rarò quispiam impunè plateas transiliret:  
cum ad primum conspectum, pluribus ex locis  
simul, in quemuis tota durante obsidione, exa-  
ctissimè collimarent. Ictibus tamen expositi  
erant ante alios Magistri tormentorum: quo-  
rum, ad nouem, paucis diebus frustulatim sunt  
discerpti.

Summo mane omnis equitatus leuioris ar-  
maturæ ad alterum Budæ latus 15. Octobris,  
iam tandem vera & arctissima obsidione cin-  
gendum, deducebatur. Tres legiones peditum  
adiungebantur: sic, ut æqua lance diuisus exer-  
citus noster, hic grauioris armaturæ, illic expe-  
ditissimi quiq; collocarentur. Obstiterat enim  
usq; huc formido: quam non temerè nobis hosti-  
cum illud & tanto monti impositum, fortalici-  
um, incusserat: quò minus in illo latere hærens  
Subur-

Suburbium, à nostris fuerat direptum. Nec enim muro aut vallo cinctum erat: sic quidem ut Turcæ, ad latibula nostris subtrahenda tribus in locis ignem, mox tamen restinguendum, hoc die iniecerint. Præter greges & armenta nihil hîc prædæ: licet camelis, magno numero Turcis ereptis, plus damni hostibus, quàm militi commodi, allatum viderem. Erat hisce diebus, propter procellosos ventorum turbines, Danubius imparcunior: quàm castra, in desolata regione, commeatu ferè Austriaco sustentanda, patiebantur. Nec enim subuectiones maturari absq; periculo poterant: cum plures, & in his tres pane, duas auena plenas, onerarias flumen absorpsisset. Rectè igitur & hordeo & fœno Turcico nostris iumentis prospectum fuit: quod tamen, duas ob causas, vnâ, quod Turcæ in currus onustos assiduè detonarent, alteram, quod priuati commodi studium sibi tantum illa, quæ hosti erepta fuerant, manciparet, remoris suis non caruit: Deducebantur vnâ viginti maiora tormenta: ut illis Budæ Regia sedes, diuersis in locis, ad irruptionem, concuteretur. Totam enim iam spe indubitata deuorauerat.

rauerat miles noster: quod non modò verbis, sed ipsa re, quantum per fata tantum, fata summè contraria, licuit, postea declarauit: sic quidem, vt præter vnica, sed eas atrocissimè aduersissimas, tempestates, ad rem tantam fœliciter conficiendam, nihil nobis obstitisse sanctè affirmare ausim: etsi Turcas nihil, quod ad sui defensionem, faciebat, intermisisset, & satis munito loco fretos fuisse, itidem confirmem.

Cum enim adducta priore die tormenta, exactè hac sequenti nocte, essent disposita: sic, vt decem omnium maxima opponerentur muro Ciuitatis, qui à viridarijs Regijs, arci conterminis, & ipsa arce, rectà ciuitatem ambit (nunc enim facilè tanta violentia funditus eruendum, nemo non putàrat: quem sequenti die maximo licet impetu decussis saxis, fragili muro, longe magis impedimento futuro, vallo quasi, communitum videbamus) congestam, in tantam altitudinem humum, & imbribus durantibus limum in ipsa vrbe vidimus: vt assultum difficilem, conscensum difficiliorem, transcendens omnium difficillimum, futurum, æquissimo loco Turcis interim constitutis, nemo non

E

vide-

videret. Ad dexteram, iuxta cliuum montis, tres cantrices, in medio montis tres Serpentinae, transversali urbis concussioni inseruiturae, & duo Falcones, Pesthensibus incommodaturi, disponebantur. Lentius in his iusto, rei militaris periti, progressum querebantur: cum vix demum hoc die, necessaria quaedam ad instituendam seueriorem obsidionem, prono flumine deueherentur. In quem culpa conferenda sit, nescio: & licet scirem, tamen in hoc improbo seculo, ubi ad malè faciendum omnes ferè prompti, ad malè audiendum verò surditate surdiores esse volunt, reos nominare nollem. Fuerunt enim quaedam, quò ad rem tormentariam, rectè ponderata: sic, vt consilijs exactissimis, dubio procul, euentus correspondisset: nisi fatalis quorundam pertinacia plurimum rei bene gerendae obstitisset.

Tandem tamen Decimo septimo Octobris die, summo diluculo, iucundissimum melos sulphurearum Lusciniarum, personare incipiebat: cuius concentu & harmonia, breui temporis spacio, ad sedecim orgyas, murus quidem demoliebatur: sic tamen, vt (ceu supra dictum) solum

solum civitatis, instar densissimi valli, vix ad  
 staturam virilem, muro corruente, ictus fru-  
 straneos exciperet: vt sine scalis, ijsq̄ satis proce-  
 ris, & quidem cum presentissimo periculo, ne-  
 mo conscensurus videretur. Desudabant equi-  
 dem nostri strenuè: si qua ratione, rotundioribus  
 propugnaculis perterebratis, à corona muri, in  
 quo plus quàm Lyncei ad exitium nostrum ex-  
 cubias agebant, Turcis reiectis, securitati mi-  
 litum, muris pro virili appropinquantium, con-  
 sulerent: sed vicit violentia fati: qua pluri-  
 mi indiscretim globorum imbre obruebantur:  
 aut inopina eruptione (quæ duæ res, toto obsi-  
 dionis tempore, noctè dieq̄, nostros, vt semel  
 pro semper dicam, exagitârunt) circumuenti  
 mactarentur. Eandem ferè hac die exper-  
 ti sunt mutua clade (vide sortis proteruiam)  
 Varadinenses: quorum muros, ad orgyas  
 quindecim motes, tanta violentia, per horas no-  
 uem, Turcæ conscendere sunt conati: vt ex tre-  
 decim signis quæ, trophæorum instar, iam desi-  
 xerant, vix, octo amissis, reijci potuerint. In  
 hoc tamen Turcis longè animosiores eramus:  
 qui duas Civitates vna obsidione, tormentis la-

cessebamus. Nec enim duo Falcones feriabantur: qui Pesthanis, indefessis ictibus negocium faciebant: & propugnaculum, flumini, ut antedictum, vicinum, absq̄ intermissione, illis duobus tormentis maioribus licet parum effecturis ictibus, conquassabatur. Viso igitur, quod pro fragili muro, quouis vallo solidius impedimentum esset obiectum, sequenti nocte, octo adhuc tormenta, duo maxima, tres Cantrices, & tres Colubrinae, in novis fossis, ad Regiam, diversis ex locis feriendam, disponebantur: cum interim nostri Nassadistae ereptas hostibus sedecim naues onerarias, solida ex quernis asseribus compagine, duas Galeones, Laurini relictas, nec non tria, lata, & ad transuchenda tormenta, peridonea nauigia sursum retraxissent.

Histe nocturno tempore confectis, vel antelucanis horis, maxima violentia, loca globis destinata, concutiebantur. Cum autem per hos dies, Imperiali & Austriaci Equitatus stipendio merens, quotidie ab his ad illos, laboriosissima, & saepius periculosa via, commigrare cogeret: nec tantum temporis, ab occupationibus Medicis, respirandi daretur: quantum oculata fides,



fides, ad Historiam rerum, circa Budam gestarum descriptionem accuratiorem, requisivisset: idcirco ea, quae ab alijs bona fide annotata, & saepius à me, sic se habere & habuisse, deprehensa continuae seriei consulturus, adiungere volui. Cum igitur, concusso muro, nostri pedites pedentim muris proreptassent: iactu pulveris pyrij, & sclopetis sunt excepti: reliquis, ex altera parte, ad vlnas triginta cuniculos agentibus, qui tamen, tantus, tamq̃ stupendus, labor, non modo irritus, sed hoc die, quodam Apostata scelesto ad Turcas transiliente, vix non hosti proditus fuit. Est tamen par pari relatum: cum femina quaedam captiva ad nos evasisset: marito, ipsius comite futuro, à Turcis deprehenso, ad nos ex vrbe confugisset: deq̃ hostium formidine, & maxima strage, obsessis per globos nostros illatâ, nos erudiisset. Sub crepusculum, quasi vindictae causa, cum hoc die usq̃ ad tertiam pomeridianam Turcae Varadinum oppugnassent, tormenta magis vrbi admouebantur: & sex, ex grandioribus commodiore loco, ad concussionem Regiae, collocabantur.

Detonabant igitur artifices librandorum

tormentorum, tam in Regiam, quam Urbem  
 violentissimè: in hanc tredecim, in illam sex  
 tormentis fulminantes: sic, ut rarò globi aber-  
 rantes muros pomærij perumperent: inq̄ pe-  
 netralia Regum adigerentur. Erat turricula,  
 quæ foris ad resistendum, nec roboris, nec mo-  
 menti quidquam habitura, videbatur. Claude-  
 bat hæc angulum duorum parietum: sic, ut, ea  
 prostrata, utrumq̄ denudandum, nemo non pu-  
 taret. Hanc autem à summo ad imum densissi-  
 ma structura consolidauerant Turcæ: illud,  
 quod ad defensionem faciebat rectius, quàm nos,  
 quæ ad destructionem, præjagientes. Etsi enim  
 satis duriter tractaretur: tamen, vel funda-  
 mento maxima ex parte disiecto, perdere ma-  
 gis, quàm stare, videbam. Interim tamen, de-  
 uolutis, sub terram in cuniculos, duodecim pul-  
 ueris nitrati vasculis, ab hac parte iam decre-  
 ta Urbis oppugnatio fuisset maturanda: nisi  
 tempestas effusissimis imbribus assiduè grassata  
 fuisset. Vidi per hos dies, ut ingenuè fatear,  
 circum nostra castra, tam portentosas nubium  
 conglomerationes, quæ aduerso vento sæpius  
 rapidissimè ferebantur, aut, quasi longius  
 rece-

recedere prohiberentur, tantum, nobis, undas  
 vbertim eructantes impenderent: sic, vt nec so-  
 lertissimus Meteorologista mihi aliud sit per-  
 suasurus: quàm hæc à Sagis Magisq; Turcicis,  
 Deo propter peccata conniunte, commota fu-  
 isse. Quid enim obstet: cum Sathanas efficax sit  
 in filiis incredulitatis: vt illis, cæcis superstitio-  
 nibus, quibus deditissimi Turcæ, effaseinatis,  
 Deo non prohibente, gratificetur: cum præter  
 plastra Sacramentorum nos (si Dijs placet)  
 Christiani nihil ferè sanctimonia, quod eiusmodi  
 molitionibus opponi posset, habeamus? Possem  
 plurimis hoc loco ad radium protractis, illud  
 demonstrare: sed præstat: vt, quid vigesimo  
 Octobris die tentatum sit, enarremus.

Nulla vnquam die maiorem spem vrbis  
 recuperandæ concepi: quàm hoc 20. die:  
 cum non modò in præsentia, Sereniß. Ar-  
 chiducis, ad impetum faciendum instrueren-  
 tur: promptæq; acies passim conglobarentur: sed  
 etiam quinq; globis incendiarijs tecta domusq;  
 peterentur. Harum vnã, in latus Occidentale,  
 aut plateam quandam Vrbis, indemnem peruo-  
 lasse, alteram diu quidẽ fumasse, tertiam iuxta

urbis mania decidentem aberrasse, quartam  
 maximam quidem, cum grassaturo incendio,  
 flammam excitasse, cito tamen extinctam, &  
 ultimam, nescio quò disparuisse, ex S. Gerhar-  
 di propugnaculo, observavi. Etsi autem his  
 conatibus, tectis assiduis pluvijs madentibus,  
 fortuna non responderit: & prætereà nuncia-  
 retur: Turcas, omnes aditus vi factos, egregiè  
 rursus obturasse: sic ut difficillima, & periculi  
 plenissima oppugnatio videretur: tamen miles  
 spe prædæ inescatus, venalem vitam pro spolijs  
 pactus fuisset: nisi imbres, per totam noctem du-  
 raturi, omnia consilia, decretasq; molitiones, in  
 nihilum rede-gissent. Si qui tamen nimis teme-  
 rè iuxta mania oberrarent: rarò cassis ictibus  
 transuerberabantur: cum præsertim Pesthen-  
 ses obsessis gnauitèr mutuam operam præsta-  
 rent: ex grandiore tormento, huius partis la-  
 tus, infestantes. Erant iam aliquot primæ  
 magnitudinis tormenta, tantis laboribus exan-  
 tatis, pessundata: sic, ut muro quidem abra-  
 so, sed vallo, quem editissima Urbis pars eo loci  
 suggerebat, substituto, non modò propter sum-  
 ptus intolerabiles, diutius laterem lavare in

con-

consultum, & ad saniora consilia, prius malè repudiata, recurrendum, videretur. Excurrerant interea Hussarones in agrum Pesthensem: sic, vt ex eo centum equos & iumenta hoc die abegerint: ratibusq; per flumen traduxerint. Interea, hoc ipso die, Varadinenses muro ad vlnas viginti nouem subtracto, & fossa latitudinis centum sexaginta vlnarum, ad transitum vsq; repleta, per quinq; horas Turcis resistere fuerint coacti.

Refrixerat paulum hoc die ardor, propter causas iam dictas, etsi non segnitè milites fossis & cuniculis actis muro subire tentarent. Cum discussis nubibus desueta paulum aeris serenitas, post meridiem se prodidisset: omnes irruptionem insecuturam sperabamus: Sed fuit propter has causas procrastinata: quòd lutum, sequenti nocte paulum exiccandum, nobis satis confidenter polliceremur: tanquàm rationibus nostris incertissima aeris constitutio obsecundare cogeretur. Credo huius nimie confidentiæ nos, ex parte, pænas dedisse: quod nemo, vel ex lixis & calonibus, esset: qui non, nostris viribus, eandem cras cras, absq; Numine, expugnandam

E s dam

dam gloriaretur. Tàm enim certò de victoria nostratibus constabat: vt, cum aliquando manipulo peditum Hungaricorum astra-rem, mira audirem: quomodo societatem fraternam iurantes, prædam & manubiarum optimarum spolia, inter se, non secus, partirentur: ac si, Vrbe iam capta, in exuvijs diuidendis essent occupati. Fuit & hic dies Varadinensibus inauspicatus: cum negligentius tractatæ insidiæ sulphuræ, Vulcano concepto in autores suos descendiissent: Turcis tamen nequicquam, de illa clade sibi congratulantibus.

Vigesimo Secundo Octobris, cum per congestos aggeres propter vulneratos, oberrare cogerer: miserimas miserorum militum miseras vidi: cum illi grauissimo cælo, instar talparum, cuniculos agere, & in illis magis magisq; ad murum serpere, conarentur. Certè si Deum magis propitium habuissemus, alacritate militum vel fatis reluctentium, perspectâ, nihil non mihi polliceri ausus fuisssem: cum præsertim hoc die per transfugam quendam (qui Bassæ ex Caramannia per decem annos pro Architriclino in seruierat) rem in vrbe  
in de-

in deterius vergere, cognouissemus. Assue-  
 rauerat ille: solius sui Bassæ pertinacem con-  
 stantiam deditiōni Urbis hactenus obstitisse:  
 cum reliqui in eandem pronissimi fuissent. De-  
 sideratos enim Inferioris Ciuitatis expugna-  
 tione, ex fortissimis plures, & in his præcipua  
 dignitatis Beglerbegum (de quo tamen ambi-  
 go) ex Bassis vnum confossum: Dominum su-  
 um sauciatum: & ad triginta Begas, præter  
 illos, qui partim à flumine absorpti, partim Pe-  
 stho excepti ab Vrbe exclusi fuissent, madatos:  
 sic quidem, vt defensorum Urbis vltra 2500.  
 Arcis autem 300. numerum non excedere, con-  
 testaretur. Turbæ imbellis, & thesaurorum,  
 huc tanquã ad asylon comportatorum, cupediæ,  
 quas longa ostentatione recensuerat, audientes  
 inescare potuissent: sed cum nulla rerũ necessari-  
 arũ inopia obsessos laborare audirent, artificibꝰ  
 tormentorum librandorum exceptis (quorum  
 & apud nos summa caritas) hanc, tam importu-  
 nam, aeris inclementiam obsidionem soluturam,  
 prudentiores rectè metuebant. Quod enim plus  
 spei in immani ppetuaq; huiꝰ violentia, quã in sup-  
 petijs nunquã, nisi serò, ferendis, collocauerint,  
 idem

idem ille asseuerârat. Visebantur quidem aliquot Tartarorum turmæ in ripis Pesthensibus circumuagari, sic quidem, vt non longè à Facia, ducenti illorum cum nostrorum viginti, non sine opprobrio velitârint. Reducebantur etiam, tam Turcis erepta, quàm laesa & confracta, tormenta: quorum magnus numerus: cum à quinquaginta affabrè factis & magna ex parte nouis, vix duodecim vsui esse dicerentur: in quem culpa transferenda sit, ignoro: hoc tamen scio: Sac. Cæs. Mai. nullis impensis perpercisse: vt recens fufis, & exactissimè elaboratis tormentis, armamentarijs castrensibus, prudentissimè prospiceretur.

Cum autem iam, deductis ex fossis machinis, obsessi spem redemptionis concepissent: dictum mirum: quantopere Vigesimo Tertio Octobris die, non modò ex Vrbe, sed Pestho quoq; mutuis ictibus nobis responderint: Schabathum suum, Serdaris Bassæ religioni, qua Varadienses hoc die respirare passus est, postponentes. Erat & his horis oppugnatio Urbis certò decreta: quam tamen, Æolus & imber, Tyranni duo implacabiles, in actum produci vetuerunt.

Nec



Nec enim tenaci quidem, sed prorsus lubrico, limo, circumcirca Urbem, cliuo exactè impostam, communierant: ut, si quis vel manibus pedibusq; sursum repens, vix duos pedes ascendisset, maiore mō violentia præceps detruderetur: sic, ut simul ascendere, se tueri, hostem ferire, & ex statione commodissima deturbare, impossibile videretur, & esset.

Nec tamen Vigesimo Quarto Octobris die, Regia, octo tormentis petitæ, induciæ dabantur: Turcis æquè violentè defulminantibus, sic, ut plures ex globis, montem S. Gerhardi transuolantes, in castris equestribus (illa, pro more, extremo loco erant, equis omnibus vel super crura, limo demersis, cum velut in vastissimo stagno fluctuare pupiliones viderentur) conciderent; dilapsiq; damnum darent: sic, ut sociorum imisq; periculis æquè obnoxij essent. Ex duplici audacia hoc die, quantum ex reductione tormentorum, pluuijsq; assiduis, cristas erexerint hostes, omnibus constitit: cum septem myoparonibus summo mane, ex ripis Pesthensibus soluentes, Inferioris Budæ præsidarios clam inuasuri, ad Regiæ conspectum adnavigas-

uigassent: sic tamen, ut sclopetariorum imbrē  
 excepti, longè maiore festinatione, terga de-  
 derint: viginti interim equitibus, porta mi-  
 nore in nostros, hinc inde commeantes, erum-  
 pentibus, & duobus captis, occisisq; ad latibu-  
 la, aequè compulsis. Pars ista Pesthi, quæ  
 iuxta flumen longo tractu protenditur, con-  
 temptissimè munita videbatur: etsi longa se-  
 rie nauigijs appensis, pro muro uti videren-  
 tur. Audaciam igitur Pesthensium nocturna  
 irruptione & si fieri posset, incendio & conflagra-  
 tione, punituri Nassadistæ decem, liburnis mili-  
 te confidentissimo instructis, hac nocte tacitè ap-  
 pellere tentant. Pernoctabam tunc, quieti con-  
 sulturus in naui: cum subito iactu pulueris tor-  
 mentarij, aerem coruscare, crebrisq; displosioni-  
 bus hostile quid nostros moliri, sentire possem:  
 cumq; Turcicos ululatus modò intendi, modò  
 obmutescere audirem: de victoria vix non spem  
 concipiebam. Sed vana spe melactatum tunc de-  
 mum cognoui: cum ab excubijs Turcicis dete-  
 ctas insidias, flammis longè relucentibus, consi-  
 lia in nihilum redacta fuisse, intellexi. Collocu-  
 tus cum Veida quodam (sic enim Nauarchos  
 suos

suos Nassadistae appellant) remulcantibus nau-  
tis rem, cum strepitus nocte eludi non potuisset;  
detectam audiui: sic, ut longè maioribus animis  
& fœliciore successu, secutura noctis impetum  
in Pesthanos, terra faciendum, petarrâ portis  
admotâ, arbitraretur.

Sed fuit diei Vigefimi Quinti Octo-  
bris aurora nebulis, tempus ante & post me-  
ridianum pluuijs, tam importunum, tamq̃ ad-  
negocia impedienda iuratum: ut, propter inun-  
dationes Varadinensibus aequè, ut Pesthanis,  
propter aduersissimas tempestates, per hunc di-  
em imminentes, quies sit concessa: quam tamen  
vtrinq̃ & Pesthenses & Budani irrequietis  
ictibus perturbare sunt conati: sequentis diei  
irruptionem dubio procul, formidantes. Ex hu-  
ius enim noctis nobis desideratissima serenitate,  
quam stellis, amabili splendore abblandienti-  
bus, stabilem fore sperabamus, sequenti die, pe-  
riculum sibi imminere, tantis iam erogatis  
sumptibus fortitudinem extremè tentandam,  
responsuram, facile coniectari poterant.

Ego

Ego verò, qui secuturae diei memoriam nigro lapillo per biennium signâram, nihilo secundiore, rerum gereandarum euentum, expectabam: quod Sole iam ex oriente, cum pluvia & aduersissima tempesta ingrauesceret, eò magis, statuebam. Erat tamen, propter plures causas, tandem tandem, vel inuitâ fortunâ, tentandum aliquid: cum non modò, intoleranda diuitus Autumnalis aeris sæuities, sed proditorum quoq; & desperatissimorum apostatarum rabies, cuniculos actis, & sulphureas insidias hosti designatura, ad quoduis audendum, Duces impelleret. Quatuor equidem in locis murus concussus, deiectusq; videbatur: Sed, ut sæpius dictum, ratione loci & temporis quorum hoc ad omnem impressionem excludendam (nam materiam imbres suggererant) communis obstructisq; ruinis, noctè dieq; dextrè collocarent, illo per se satis defendebantur, obsessi longè maximis commoditatibus fruebantur. Geminis, ijsq; laboriosissimis suffossionibus, ad quas maturandas, vel ex montanis Aurifodinis ducenti fossores (vix 28. Octobris testudineo gradu aduenientes) conscripti fuerant, cuniculis actis,  
muri

muri erant impositi: quarum nulla maximis  
 & sumptibus, & laboribus & expectationi re-  
 spondit: imò calamitosa aberratione plus dam-  
 ni nobis, quàm ipsis hostibus intulerint. Desig-  
 nata iam Ducibus omnibus & singulis sua Spar-  
 ta fuerat: ad quam exornandam si quisquis  
 pro se strenuè adniteretur, Turcæ profectò non  
 minus in illa dehonestanda, quicquam reliqui  
 faciebant: sic quidem, ut tormentis, ad com-  
 modiores stationes per noctem protractis, ex  
 Vrbe & Pestho per totum diem, absq; intermis-  
 sione, in quosuis etiam equites, sparsim palantes,  
 ut turbine maioris globi vix non equo excussus,  
 expertus sum, ne dum, in succedentes muro, ful-  
 minarent. Cum autem oppugnatio usq; ad  
 Quartam pomeridianam suspenderetur: quod  
 prius tonna, puluere nitrato supponenda, de-  
 uolui, & omnia, ad vim inferendam, preparari  
 non potuissent: pleriq; nihil hoc die, utpote iam  
 ingruente crepusculo, tentandum putabant.  
 Vicit tamen fati violentia: maiore nos detri-  
 mento hoc die, quàm decimo huius Mensis af-  
 fectura. Ecce enim, dum omnes, suspensis ani-  
 mis ad impetum procincti, in acie starent, suc-  
 F censa

censa Mina in cuniculis magno impetu, ad or-  
 gyas sedecim, murum ex fundamento erutum  
 subuertit: sic tamen, vt, instar arcus, euulsam  
 terram & saxa in nostros ad vallem, reijceret:  
 plurimos, & quidem praeipue conditionis, mi-  
 lites opprimeret: reliquos tam repentino infor-  
 tuno vix non exanimatos, dubios, ecquid age-  
 rent, reliquerit. Sunt, qui dicant, ad Septin-  
 gentos ex nostris desideratos: quod etsi mihi non  
 constet: tamen hic longè plures, quàm in Infe-  
 rioris Civitatis expugnatione, minus praesidio  
 hoc fulmine tactos, peremptosq; fuisse certò con-  
 stat. Euasisse tamen nonnullos, & in his qua-  
 tuor Signiferos, ascensu minimè pauido, in me-  
 nia, per deiectam maceriem, prostratosq; mu-  
 ros, aiebant, sic, vt de successu rei non desperan-  
 dum fuisset: ni militi, ad tantum vulnus infli-  
 ctum quasi dirigescenti, ad vires animumq; re-  
 colligendum, tempus defuisset: nec ex altera  
 parte puluis pyrius suppositus, & cuniculis al-  
 tissimis certissima spe inclusus, omnium expe-  
 ctationem frustratus fuisset. Etsi enim minore  
 rabie compedes suos perfragerit: tamen, post-  
 quam muro saluo & prorsus intacto, vix vni-  
 tam

cam ædiculam loco mouisset, & in altum, tanquam subsaltabundus, eleuauisset, in nihilum redijt, quod fuit ante nihil: quæ res Turcis, in vnum tantum locum conglobatis, ad resistendum, cuneis densissimis, ansam præbuit. Nec defuere interea tamen artifices tormentis præfecti, oblatae occasione: in hostium confertissimam aciem raro aberraturis ictibus, sic detonantes: vt, plurimis discerptis, non multò minore clade hostes affectos fuisse, quidam putarent. Non enim pauci simul voragine absorpti, humo oppressi, fumoq; suffocati fuerant: cum, vt dictum est, saxis, sulphure & telis nostrates, repulsuri, densissima caterua confluxissent. Quo minus mirum: si plurimi quoq; à nostris sclopetarijs, per sesquihoram ferè, glandium imbre tacti, peremptiq; fuerint: Turcis sibi, suæq; cause non admodum fidentibus: cum per totum ferè mœniorum ambitum, nostrorum insidias veriti, sequenti nocte, proiectis globis, saccisq; picatis, & sulphure repletis, ignes disseminarent. Et hæc illa est Buda Metropolis Regni Hungariæ oppugnatio: quam 26. Octobris captam, tentatam, & prosperiore euentu frustratam nemo

miretur: cum, fati vrgentis violentia, eandem vi summa Ducibus extorserit. Quis enim, vel experitissimis Naucleris, contra fatum vnquam procellis vndisq; indesinenter sauentibus, est eluctatus? sic quidem, vt nec hostium robore, nec fortitudine, quorum hoc constantia, illud pertinacia est, nos ab ingressu Regia, sed solius DEI potentis, & sic volentis, manu, prohibitos, nemo, cui sanæ mentis minima portio, dixerit. Fuit enim, hoc Anno, si vnquam, IEHOVA presentissimus nostrarum, & hîc & illic, expeditionum, Imperator: cum vel hac die, Varadinensibus, perpetuis vigilijs & laboribus, in tantas angustias reductis, vt vix 11. aut 16. militum manus fessis, saucijsq; succurri potuerit, contra ingens hostium Chaos opem evidentissimam paternè præstiterit: nostras autem Minas nequicquam, non tamen sine clade nostrorum, succensas, longè maiore damno Turcis illato, tertio ab hoc die, recompensauerit. Hunc igitur terminum huius obsidionis esse patiamur cum simul, cum discussis duobus cuniculis compedes quoq; pavoris Turcici confracta, & ad soluendam obsidionem omnia disponi viderentur.

Nec



Nec enim Turcæ, quasi triumphaturi, sequenti die, læticiam iam conceptam declarare cessârunt: non tantum plurimis idibus, sed eruptionibus quoq; temerarijs & audacissimis, nostratibus, non tamen impunè, insultantes. Visabantur hoc die castra Turcica, spacio vnius miliaris Pestho distantia: quæ etsi constanti, falso tamen rumore Serdaris Bassæ esse dicebantur: qui obsidionem Varadinensem, ad Metropoleos Regni salutem & defensionem soluisse, credebatur: tamen Equitatus noster robur hostium & numerum, qui maximus ferebatur, sic aspernabatur: vt illo ipso momento nauigijs trans flumen deportari, & ad manus cum hoste, non æquo Marte, conserendas, in continentem trajici vellet, & vnicè exoptaret. Agrè enim ferentes plurimi ex equestri ordine: toto obsidionis tempore nihil à se, præter excubias molestissimas gestum, quod hostem momordisset: ad has delicias, trans flumen avidissimè respectabant. Et fortassis voti compotes facti fuissent: nisi rumor totis castris percrebuisset: eadem nocte tam ex Vrbe Turcas erupturos: quàm Pestho huc nauigijs appulsuros: diuersisq; in lo-

cis impetu facto ingentem Ianizarorum, siue Sclopetariorum Turcicorum, multitudinem Vrbe recepturos. Hoc enim prohibitori nostri, uumerosis passim excubiarum turmis dispositis, utrum famæ exitus responsurus esset, non sine tripudio, expectabant: donec sequenti die, ex captiuorum relatu, rumorem istum ad nos deterrandos sparsum, divulgatumq̄, certò cognouimus.

Vigesimo enim Octauo Octobris die, Commissarij Turcici fuerunt à nostris intercepti: qui Bassam, ut vocabant, Agriensem, quatuor tantum millibus comitatum, quibus copiolis magno se nobis terrori futurum sibi satis pueriliter persuaserat, illic castra, (Et iam quidem uiciniora Pestho) metatum esse, Serdarem uerò in oppugnatione Varadini pertinaciter perseuerare, dictitârunt. Passus is hoc die maximum est infortunium: fortuito flammæ iactu insidijs detectis, cuniculisq̄ disiectis: ne uel minima in re mitius secum, quàm nobiscum actum fuisse, gloriari potuerit. Interim tamen cum reductis iam undiq̄ tormentis, Turcæ cristas erigere cepissent: sic ut, per vices quasi, modo

modò hic, modò illic ex spelæis profilirent: & nostris, magna ex parte, pluuijs & gelu torpescensibus, limoq; inuisicatis insultarent: miram rerum metamorphosin, (qua pedes quidam ex sclopetario repente macheræ dentatæ, qua signa pedestria stipantur, ensifer factus est) recensere lubet. Erant in excubiæ primæ fronte constituti duo, Sclopetarius vnus, alter macheræ (à prælio, vel mactatu dictæ) ensifer. Erumpunt hostes: hic macheram, onus minimè leporinum, humeris excutit: cedit statione: volat: sclopetarius primò globis, irruentes traicit: mox machera arrepta duos Turcas dissecat: reliquos periculo se subducere cogit. Hinc, vel ex merito, fortiter assertam macheram, vnà cum stipendio, altero compedibus mancipato, ex decreto Ducum, obtinuit. Sanè si præmia virtutum, & pœnæ scelerum, pariter dispensarentur: vel hoc Anno quædam, quæ velimum de plebe torque aurato exornassent, gesta fuisse, & non minus detestanda, (vt post vnicam subiunxero) à præcipuis admissa, sæpius vidi. Conscenderat quoq; nocte quadam clam quidam ex nostris in murum vrbis: & illic quendam, qui per

se malè vigilauerat, fune corpus mira agilitate irretito, vi maxima detraxerat: qui licet ex lapsu lethaliter conquassatus fuerit: tamen audacia, suo brabio defraudanda, non fuisset. Hæc breuibus perstringere volui: fortitudinem apud nostrates, bello Turcico iam assuetos, dignissimo suo honore innuens: cum hostis tam adamantinus non sit: vt non, vel minimo sortis afflantis reflantisq; motu in quameunq; partem impelatur.

Vidi huius rei euidentis exemplum die Vigesimo Nono Octobris: cum fortè fortuna in adibus Mustaphæ Beegi, Pesthum versus, & ad montem S. Gerhardi prospectans, blasphemias in Deum, & contumeliosas Turcarum subsanationes, indignabundus, audirem. Cum enim reducta vndiq; tormenta (& cum his, duos illos Falcones, Pesthensibus insidiaturos) Turci putassent: protractis aliquot machinis maioribus, cum sarcasmis, illas in nostrates exonerabant: mixtis interim iuuenum, Senumq; imò puerorum & infantium, quod ex vagitu coniectabar, vlulatibus ironicis: quibus nos & conuicijs exactissimis proscindebant. Qui duobus Falconibus  
pre-

praefectus erat, non secus, ac si prorsus obmutu-  
isset, conticuit: Sed postquam iam tantam, tri-  
pudientium hostium turbam, confluisse, & se  
aberrare non posse, videret: tanto ex improvi-  
so tonitru fulminibusq̄, agmen illud maledi-  
cum grandinis tormentario, confecit: vt, quavis  
rana Siryphia, magis muti viderentur.

Desudabant interea nostri, in Inferioris ci-  
uitatis aedificijs demoliendis, deformandisq̄:  
cum aegris saucijsq̄, quorum ingens turba, ad  
naues illas, Turcis felici sidere ereptis (erant  
enim concameratis tabulatis tecta, & egregie  
querno ligno munita) deportatis, tormentisq̄  
magna ex parte nauibus receptis, secuturam, &  
tantoperè vi violenta cunctis extorsam, obsi-  
dionis solutionem, nemo non praesagire posset.  
Toties enim horresco: quoties in memoriam re-  
uoco: quanto in luto, die nocteq̄, vnà cum iu-  
mentis nostris, tanto tempore haeserimus: sic, vt  
verè misericordiae DEI sit: quod non consum-  
pti simus: ipsius autem potentiae: quod  
in paruis efficacè, nos valenti sua manu, ad hu-  
ius vrbis oppugnationem deduxit: quam prius,

totius Europæ vires, tanto tempore, aggredi  
formidârunt: Iusticiæ quidem: quod nobis, fi-  
lijs quidem, sed immorigeris, & S. S. Dei Maie-  
statem execrandis detestandisq; blasphemijs hor-  
rendissimè sæpius lædentibus, victoriæ fructus  
spectare, non tamen prorsus decerpere permise-  
rit: & tamen nihilo minus in hostes iuratos sui  
nominis acutissimum ensẽm distinxerit.

Nec enim, quod omnium maximum, rerum  
hoc Anno gestarum, puto, tantum ad pabuli sa-  
ginæq; inopiam, reliquijs exustis, hostes redegi-  
mus: sed ipsos etiam, homagio devinctos, colo-  
nos, siue rusticos (puta cum familijs) quorum  
sudore & sanguine Dynastæ Budenses victitâ-  
rant, nobiscum ex Tyrannide, si verum fateri  
volunt, & ferreis ergastulis, in libertatem ven-  
dicatos, abduximus. Erat huius rei Autor ipse  
Bassa Budensis: qui tanquam Bassa maneret,  
edicens, precibusq; minas regaliter addens, ex-  
trema quæq; vel adhuc obsessus, prioribus ali-  
quot pagis, in villa Rhoetica, comminatus fue-  
rat: quod, se in consulto, nostratibus, suo metuen-  
tes corio, rebus necessarijs, manus porrexissent.  
Harum ineptiarum rigorem expectare non

consultum putantes illi miseri nobiscum discedere auebant: sic, ut cum armentis, gregibus liberis, vxoribus, & omni supellectile, ( quantum carris, plerisque sedes vel octo rotarum, secum in tanta festinatione asportare & conuolare potuerant, ) circa Strigonium & in Congestis hibernaturi, nobis coniungerentur. De numero certi quid, cum me fugiat, confirmare erubesco: quantum tamen 13. Nouembris, ex plurimis, iuxta Strigonium discumbentibus intellexi: non contemnendum numerum nobiscum abductum audij. Quod me in spem deducit: longè plus detrimenti cladisque diu post exacerbandæ, hac abductione hostibus allatum: quàm ædium, casarumque Turcicarum, qua hisce diebus ferberunt, deuastationes. Ecquid enim aliud agerent pedites in ædibus alienis: cum pluuia vel adhuc grassarentur: quàm omnem illis ornatum, si quis remanserat, detrahere: reliquijs Moscheorum plumbeis siphones suos infarcientes: sic ut grandes onerariæ, plumbo & feramentis onustæ viderentur. Huic igitur denudatæ prorsus, & inquilinis non minus, quàm alienigenis, orbatae ciuitati, flammam subdere gauderem: nisi res  
 que-

quædam à me, sed inuitissimo, visa, dum iam receptui canendum esset, crabrones mihi excitasset.

Ultima enim mensis huius, propter tempestates inauspicati dies, plus secum infamiae & effæminatæ turpitudinis attulit: quàm quod absq; rubore illorum, qui commiserunt, & dolore meo recenseri posset. Rem tamen, ut gesta est paucissimis perstrinxero: ut omnes, verecundia fortassis vnus & alterius pepercisse, & præconijs illorum, qui iam admissum dedecus resarcierunt, superjedisse intelligant. Erumpebant irrequietis molitionibus assiduè, tam per tenebras, quàm lucem, in hinc illinc commeantes, Turcæ: quod, pro more hoc die factitantes, in excubias nostras equestres, quæ vnus signi equitatu constabant, inciderant. Hostibus ad 60. circiter in cæde & vinculis miserorum (qui fiducia salui conductus ad mania consulturi compendio viæ laboriosissimæ accesserant) occupatis quatuor tantum ex illis, in alam illam impetum faciebant. Per congruè Alam dictam putes: tunc enim immemor armaturæ grauioris verè alata se præstabat: sic ut in turpissimam fugam



fugam (proh Superi) vel per dorsum montis vicini semet effusissimo cursu coniecerint. Nec tamen pœnam, tam probroso pauore meritissimam effugissent: Turcis pernicipibus equis fidentibus: si non laxis habenis suppetias tulissent aliquot ex viris. Exurebantur hoc die, à discessuris, ex mandato Suburbia Budensia circumcirca: quæ adhuc vsq̄ diem, tantæ aeris vehementiæ expositos milites, placido quasi sinu fouerant: sic quidem, vt in his & illis angulis delitescerent Decuriæ, contubernio satis commodo frui potuerint: nosq̄ sub tentorijs, in luto hærentes, ex haris casarum dirutis, contra aeris iniurias, medicinam simus mutuati.

Superuacaneum existimo, Lector, Historicam nostram Descriptionem, vltra cineres Budenses, extendere. Quid enim aliud, quàm eadem qua veneramus via, Die 1. 2. 3. & sequentibus, Nouembris, ad nostros reuersos esse, crambem recocturus, enarrarem? nisi fortè stupendas aeris serenissimi purissimiq̄, mutationes ob oculos poni cupis. Primo enim Nouembris simul cum mense mutato, nimbos & imbres, tempestatesq̄ mutatas discussasq̄, vidisses: sic vt dies tanto  
tem-


tempore desideratissimi, admiranda serenitate  
 conspicui, semet inuicem subsequerentur: ut  
 quod saepius à me dictum, iure quodam hic repe-  
 tere cogar: *DEVM* nimirum ab expugnatione  
 Regiae suo nutu retraxisse: ut quod speramus &  
 optamus, suo tandem tempore nobis illam, diui-  
 na gratia longè pleniore indultu, munificentis-  
 simè condonet. Hoc autem carcinomate tacto ne  
 Reipub. Christianae Defensores cicatricem ob-  
 duci patiantur, per illum, qui Danielis Colossum  
 illum, solidiore fundamento, quàm quod huma-  
 nis viribus euerti possit, ardentissimè precor. Il-  
 lius enim sacris initiatus, & militiae ascriptus  
 me semper hostem profitebor illius hostis: qui *SS.*  
 & *Individuae Trinitatis* laudatissimè in omnia  
 secula vindicem potentiam saepius, hoc bello du-  
 rante est expertus. Cuius & me, meosq; quales-  
 cunq; labores patrocinio, contra quosuis defen-  
 dendos, non minus scio: quàm bonis candidisq;  
 hoc quaecunq; meum studium non improban-  
 dum spero. Qua quidem spe non vanà si me lacta-  
 tum sensero: magis magisq; adnitar: ut  
 cultiora, perq; ocium tersiora, lu-  
 cem sint visura.

**F I N I S.**


*Erratum in titulo sic cor-  
rigatur.*

Pag. 1. Mense pro Mensæ.  
Reliqua, si quæ occurrent, Typographi-  
ca, æquus lector pro suo candore, ipsemet  
corrigere studebit.










Nr 457  
f

ULB Halle 3  
004 975 677



Sb.

Nr.







3

*Historica descriptio*

RERVM, CIRCA

BVDAM, METROPO  
LIN REGNI VNGARIAE,

Mense Octobri,

ANNO M. D. XCVIII.

GESTARVM.

Excepta

à

THOBIA COBERO,

Medic. D. Phys. Castrensi.



L I P S I Æ.

Ex Typographéo Abrahami Lambergi.

M. D. X C I X.